FR. ANDREÆ SGAMBATI

ORDINIS MINORUM

S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

OPUS

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

TOMUS XIV. ET ULTIMUS

COMPLECTENS

Libros de Pœnitentia, de Indulgentiis et de Censuris, necnon de Extrema Unctione.

Addito ad calcem indice generali librorum juxta tomorum partitionem.

NEAPOLI

ANNO MDCCLXXXIII.

Ex Typographia Fratrum Paci.

SUPERIORUM FACULTATE.

REVERENDISSIMO PATRI MAGISTRO

FRIDERICO LAURO BARBADICO

VENETO

ARTIUM ET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI, TOTIUS ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CONVENTUALIUM POST SERAPHICUM PATRIARCHAM MINISTRO GENERALI XCI.

F. ANDREAS SGAMBATI

Opus hocce ſuum

D. D. D.

UT in Bonorum omnium lætitia plauſuque, quod Tu, VIR PRÆCLARISSIME, fueris in Generalem Seraphici Ordinis noſtri Miniſtrum electus, ego etiam aliquod ingentis gaudii mei indicium exhiberem, oblata felix occaſio eſt, qua poſtremum hoc ſuper quatuor ſententiarum libros volumen ſub auſpicatiſſimo Nomine tuo pu-

publica nunc luce fruatur. Et profecto cui potius dedicandum iſtud poteram exoptare, quam Tibi ex ea familia nato, quæ, uti quidam recte ait (*), nunquam protulit, niſi Bonos; Tibi inſuper, in quo univerſa prorſus ornamenta virtutum, quibus ſpectatiſſimi, ac celeberrimi nobilitate, dignitate, & ſanctitate Majores tui perpetuo refulſerunt, perfectiſſime, & cumulatiſſime continentur? Hinc merito contigit, quod Sapientiſſimus Anteceſſor tuus, aliique Clariſſimi Generalis Capituli Electores tantum Tibi munus communibus votis ſuffragiiſque detulerint, ut virtutes quas antea privatim excolere ſtuduiſti, multo nunc uberius, multoque felicius Superioris auctoritate ſuffultus longe lateque diffundas. Non ſolum enim omnigenam eruditionem, raram eloquentiam, inſignemque doctrinam, ſed & eximiam pietatem, præclaram modeſtiam, ingenuum-

(*) *Jacobus Jacobetti Oratione in funere B. Gregorii Card. Barbadici Epiſcopi Patavini.*

nuumque animi tui candorem omnes mirabundi ſuſpiciunt, conſtanterque fatentur, nihil Te ab avito generis tui ſplendore gloriaque deſciſcere, neque nudam BARBADICI Nominis umbram, ſed vivam exactamque Egregiorum Parentum imaginem exhibere. Non itaque dubitandum ullatenus eſt, quin opus iſtud a me licet nulla ſit arte confectum, nulloque ornatu politum, cum tamen tuo decoretur Nomine, ac præſidio fulciatur, proſpere ſit fortunateque vulgandum. Omni itaque qua excellis humanitate meam hanc ſummæ erga Te obſervantiæ teſtificationem ne dedigneris excipere; dum ego interim enixis a Deo precibus aſſidue poſtulabo, ut Seraphici Ordinis, totiuſque Chriſtianæ Reipublicæ bono Te diu ſervet incolumem, ampliſſimiſque honoribus ſemper exornet. Vale PATER REVERENDISSIME, filioque tuo Seraphicam benedictionem peramanter impende.

IN.

INDEX

LIBER XXXI.

IN quo de Pœnitentiæ Sacramento tractatur, pag. 1

CAPUT I.

Num Pœnitentia ſit verum Sacramentum, & a Baptiſmo diſtinctum, quod remittere valeat quodcumque peccatum? 2

CAPUT II.

Quænam eſt hujus Sacramenti materia? 16

CAPUT III.

Quid & quotuplex ſit Contritio. 25

CAPUT IV.

Qualis requiratur dolor ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. 38

CAPUT V.

Ubi de Sacramentalis Confeſſionis præcepto, & neceſſitate diſſeritur. 59

CAPUT VI.

De Confeſſionis integritate. 74

CAPUT VII.

De Confeſſionis ſecreto. 86

CAPUT VIII.

De Confeſſionis Miniſtro, & de juriſdictionis poteſtate, quæ in eo requiritur. 95

CAPUT IX.

De tempore, quo præceptum Confeſſionis obſtringit. 113

CAPUT X.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ. 125

CAPUT XI.

Num ſacramentalis Abſolutio impendi valide poſ- ſit

ſit abſentibus? Ubi & de confeſſione facta per litteras diſputatur. 143

CAPUT XII.

De neceſſitate ſatisfactionis. 152

CAPUT XIII.

Quædam dubia enodantur, quæ ad ſacramentalem pertinent ſatisfactionem. 169

CAPUT XIV.

De ſatisfactione, ſive pœnitentia publica. 178

CAPUT XV.

An bona opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcant? 186

LIBER XXXII.

Ubi de Indulgentiis, Cenſuriſque diſſeritur. 195

CAPUT I.

Num Eccleſia poteſtatem habeat Indulgentias conferendi? 196

CAPUT II.

De Indulgentiarum eſſentia, diviſione, & valore. 207

CAPUT III.

De Indulgentiarum Miniſtro, ac Subjecto. 218

CAPUT IV.

Ubi de Cenſura generatim inſpecta diſſeritur. 225

CAPUT V.

De Excommunicatione. 233

CAPUT VI.

De Suſpenſione, & Interdicto, necnon de Depoſitione, Degradatione, & Irregularitate. 244

LIBER XXXIII.

Ubi quæ ad Sacramentum Unctionis Extremæ per-

pertinent, exponuntur. 255

CAPUT I.

Oſtenditur Unctionem Extremam eſſe verum propriumque Sacramentum. 256

CAPUT II.

De remota & proxima hujus Sacramenti materia. 264

CAPUT III.

De ejuſdem Sacramenti forma. 272

CAPUT IV.

De Unctionis Extremæ Miniſtro. 278

CAPUT V.

De ejuſdem Sacramenti Subjecto. 286

CAPUT VI.

De effectibus Unctionis Extremæ: Ubi etiam quæritur, num ad ſingulas unctiones, formaſque gratia conferatur? 291

CAPUT VII.

Num Extrema Unctio neceſſaria ſit, & num iterari illa poſſit, qualeſque diſpoſitiones in ſuſcipiente requirat? 298

FINIS.

DE
THEOLOGICIS INSTITUTIS
LIBER XXXI.

In quo de Pœnitentiæ Sacramento tractatur.

Tanta eſt humanæ naturæ fragilitas ex Adæ peccato contracta, ut pauci perceptam in Baptiſmo gratiam illibatam ad mortem uſque cuſtodiant, ac per nullum a ſe lethale crimen abjiciant; hinc Divina Clementia noſtræ ſaluti hac quoque in parte conſuluit, inſtituens pro reconciliatione eorum, qui poſt Baptiſmum relabuntur, Pœnitentiæ Sacramentum. *Hæc venena providens Deus*, inquit Tertullianus in lib. de pœnit. c. 7. *clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat*. De hoc itaque Sacramento ad inſtituti noſtri normam breviter diſſeremus.

CAPUT I.

Num Pœnitentia ſit verum Sacramentum, & a Baptiſmo diſtinctum, quod remittere valeat quodcumque peccatum?

PŒnitentia, ſi etymologia ſpectetur, a *pœna* ſuam habet originem: ut enim ait Auctor de vera & falſa pœnitentia cap. 19. inter opera Auguſtini, *pœnitere eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod fecit peccando*. Hoc autem nomine a Theologis denotatur 1. reſipiſcentia, ſive mutatio male actæ vitæ prioris: 2. odium & deteſtatio, ſive intimus animi dolor ejuſdem vitæ, turpiſque peccati: 3. ſatisfactio, ſive pœna, per quam peccator ſcelus ſuum conatur eluere: 4. tandem novæ legis Sacramentum, quo peccata poſt Baptiſmum commiſſa delentur.

Triplex illa prior pœnitentiæ acceptio ſimul ſumpta conſtituit pœnitentiæ virtutem: hæc enim mutationem odiumque veteris vitæ & propoſitum novæ, ac voluntatem Deo ſatisfaciendi complectitur. Pœnitentia vero, prout ſacramentum eſt, virtutem iſtam pro ſua diſpoſitione & materia reſpicit, ut inferius oſtendetur. Hinc pœnitentia, quatenus eſt virtus, deſcribi ſic poteſt: *Virtus, qua homo movetur ad ſcelerum ſuorum deteſtationem & odium, ad firmum*

firmum bonæ vitæ propoſitum, *atque ad malè actæ vitæ expiationem & vindictam*, *in compenſationem injuriæ Deo illatæ*. Quatenus autem ſacramentum eſt, pœnitentia definitur: *Novæ legis ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, quo fidelibus poſt baptiſmum lapſis, vere pœnitentibus & confeſſis ac ſatisfacere proponentibus, abſolutio ſacerdotalis impenditur*.

Inter hæreticos, qui ſacramentum Pœnitentiæ denegarunt, a Patribus, pluribuſque Theologis Novatiani merito recenſentur. Ita namque de illis ſcribit S. Pacianus in epiſt. 3. ad Sympronianum: *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propoſitionibus deſtinaſti, hoc continet: Quod poſt baptiſmum pœnitere non liceat; quod mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit; immo quod ipſa pereat recipiendo peccantes*. Idem quoque teſtantur Ambroſius in lib. 1. de pœnit. c. 2. Auguſtinus lib. de hæreſibus c. 38. Epiphanius hær. 59. n. 1. Philaſtrius hær. 82. aliique apud Tournely, Berti, &c. Hoc idem prius opinatum fuiſſe Montanum affirmant Pacianus in citata epiſt. & Hieronymus in epiſt. 77. ad Oceanum. Quamvis nonnulli Montaniſtæ, ac Novatiani a rigidiori ſententia diſcedentes, *exceptis gravioribus criminibus, relaxaverint veniam levioribus*, ut in laudato lib. c. 3. ſcribit Ambroſius. Ita quoque Tertullianus ſenſit, poſtquam ad Montani caſtra defecit.

Ex recentioribus vero hæreticis Lutherus, etſi videatur alicubi inter ſacramenta Pœnitentiam recenſere, alicubi tamen ab illorum numero eandem expungit. Hujus inconſtantiæ cauſa factum eſt, ut in oppoſitas ſententias

Lutheri gregales abierint ; quibuſdam Pœnitentiæ ſacramentum admittentibus , quibuſdam vero negantibus .

Poſtremo Calvinus lib. 4. Inſtitut. c. 19. n. 17, contendit Pœnitentiam non eſſe ſacramentum a Baptiſmo diſtinctum , & nos , quocunque baptizemur tempore , in omnem vitam ablui & purgari ; ita, ut ſi poſtea lapſi fuerimus, repetenda ſit Baptiſmi memoria , & hac armandus animus , ut de peccatorum remiſſione ſemper certus ſit atque ſecurus .

Propoſitio 1. Pœnitentia eſt verum ac proprium novæ legis Sacramentum .

Probatur . Chriſtus Dominus Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus poteſtatem contulit dimittendi peccata poſt Baptiſmum admiſſa , inquiens Joan. 20. v. 21. *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis ; & quorum retinueritis , retenta ſunt* . Atqui in uſu poteſtatis illius includitur ratio ſacramenti vere ac proprie dicti : reperitur enim 1. ritus externus ; nam cum poteſtas dimittendi peccata , in hominum gratiam conceſſa ſit , oportuit , ut per externum ſignum aliquod exerceretur ; alioquin iidem homines non intelligerent ſibi per Sacerdotem peccata dimitti . Hinc tum ipſe Sacerdos ſenſibili verborum prolatione pœnitentem abſolvit ; tum quoque pœnitens dolore ſuo , humilique confeſſione ſe a peccato recedere manifeſtat .

Reperitur 2. divina inſtitutio , ut ex citatis Chriſti verbis evidenter infertur . Hinc Synodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 1. ait : *Dominus autem ſacramentum pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit , cum a mortuis excitatus inſufflavit in di-*

diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles, poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.

Reperitur 3. collatio gratiæ, ſine qua neque abſtergimur a maculis peccatorum, neque renovamur Spiritu Sancto, neque induimus *novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis:* uti ſcribit Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 23. & 24. Vide quæ diximus libro 23. c. 3.

Catholico huic dogmati SS. Eccleſiæ Patres unanimiter ſuffragantur. Ambroſius lib. 1. de pœnit. c. 2. n. 6. arguit Novatianos *reſervantes ſoli Deo remittendorum criminum poteſtatem*, præcitato textu, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum, &c.* additque n. 8. *Munus Spiritus Sancti eſt officium ſacerdotis, jus autem Spiritus Sancti in ſolvendis ligandiſque criminibus eſt; quomodo igitur munus ejus vindicant, de cujus diffidunt jure & poteſtate?*

Auguſtinus tract. 121. in Joan. ſuper eadem verba, *Accipite Spiritum S. &c.* ſcribit: *Eccleſiæ charitas, quæ per Spiritum S. diffunditur in cordibus noſtris, participum ſuorum peccata dimittit; eorum autem, qui non ſunt ejus participes, tenet. Ideo poſteaquam dixit:* Accipite Spiritum Sanctum; *hoc continuo de peccatorum remiſſione, ac detentione ſubjecit.* Præterea S. Doctor de hæreſibus n. 38. de Catharis, ſeu

Novatianis ait: *Secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam negant:* quibus profecto verbis intelligit Pœnitentiæ ſacramentum; ſiquidem Novatiani illam pœnitentiam denegabant, qua ab Eccleſia omnibus lapſis datur pax & reconciliatio, hanc tamen a Deo petendam eſſe dicentes.

Leo Magnus epiſt 82. alias 91. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum inquit: *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri. &c.*

Laudatis Patribus adſtipulantur alii omnes, ac præſertim Cyprianus in epiſtolis 54. 67. 69. & alibi, Hieronymus in epiſt. ad Demetriadem & in lib. 1. dialogi contra Pelagianos, Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio c. 5. & 6. &c. Qui ſane de pœnitentia illa loquuntur, quæ delictorum manifeſtationem includit, & per quam Eccleſia Sacerdotum miniſterio pœnitentibus & dolentibus pacem & remiſſionem impertit: Ejuſmodi autem pœnitentia eſt ipſum Pœnitentiæ ſacramentum, quale Catholica profitetur Eccleſia.

Propoſitio 2. Sacramentum Pœnitentiæ a Baptiſmi Sacramento diverſum eſt.

Et 1. quidem utriuſque Sacramenti diſcrimen apparet, ſi materiam formamque conſideres. Baptiſmi enim materia eſt aqua, ac forma eſt, *Ego te baptizo &c.* Materia vero Pœni-

nitentiæ ſunt pœnitentis actus, & forma ſunt verba quibus Sacerdos abſolvit.

2. Quilibet eſſe poteſt Baptiſmi Miniſter: at Pœnitentiæ ſolus Sacerdos. Deinde non oportet Miniſtrum Baptiſmi eſſe judicem, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam ingreſſus fuerit: at eos qui per Baptiſmum domeſtici fidei ſemel effecti ſunt, ſi poſtea in crimen aliquod prolabantur, voluit Chriſtus tanquam reos ſiſti ante hoc Pœnitentiæ tribunal, ut cauſa cognita per judiciariam Sacerdotum ſententiam poſſint a peccatis abſolvi. Ex quo patet etiam ex parte ſubjecti Pœnitentiam a Baptiſmo differre.

3. Baptiſmum iterari non licet; licet autem toties repetere Pœnitentiæ Sacramentum, quoties ad ipſum Eccleſiæ tribunal confugimus, ut ab admiſſis peccatis liberari poſſimus.

4. denique, diverſus eſt Baptiſmi & Pœnitentiæ fructus, ſive effectus. Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes; ad quam tamen novitatem & integritatem per ſacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire non poſſumus; ut merito Pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus a Sanctis Patribus fuerit appellata. Atque his fere modis inter utrumque ſacramentum Synodus Tridentina diſtinxit ſeſſ. 14. cap. 2.

Eadem veritas confirmatur ex Patribus, quos inter S. Auguſtinus epiſt. 98. alias 23. ad Bonifacium n. 2. ſcribit: *Semel perceptam Chriſti gra-*

gratiam parvulus non amittit , niſi propria impietate , ſi ætatis acceſſu tam malus evaſerit . Tunc enim propria incipiet habere peccata , quæ non regeneratione auferantur , ſed alia curatione ſanentur . Similia habet S. Doctor tum alibi , tum præſertim in Enchir. ad Laurentium c. 46. Idem quoque docet Hieronymus in epiſt. ad Demetriadem , Pœnitentiam appellans *ſecundam poſt naufragium tabulam ;* quam profecto a prima tabula, ſeu potius ab ipſa nave , quæ eſt Baptiſmus, oportet eſſe diverſam . Denique Ambroſius in libris de pœnitentia , Pacianus in epiſtolis , Cyrillus Alexandrinus in cap. 20. Joannis, aliique communiter hoc fidei dogma non obſcure commonſtrant .

Ex dictis apparet, Pœnitentiæ ſacramentum non eſſe ſolam Baptiſmi memoriam: atque ad hoc oſtendendum accedit inſuper , quod neque Simon magus , neque fornicarius ille Corinthius, cum poſt Baptiſmum graviter deliquiſſent , remiſſi ſunt ad Baptiſmi ante percepti recordationem, ut eo pacto criminum veniam obtinerent ; ſed Mago quidem dictum eſt a Petro , Act. 8. v. 22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua , & roga Deum* . Corinthium autem Paulus excommunicatum ad gravem ſatiſfactionem adegit, ut conſtat ex 1. ad Cor. c. 5. Hinc & Patres non ad Baptiſmum ejuſque memoriam, ſed ad labores pœnitentiæ & ad claves Eccleſiæ eos mittunt , qui poſt Baptiſma labuntur ; ut inferius oſtendetur . Poſtremo Joan. 20. v. 21. Chriſtus Apoſtolis poteſtatem dedit non remittendi ſolum , ſed & retinendi peccata : Hæc vero poteſtas fruſtranea prorſus eſſet , ſi remiſſio peccatorum , de quibus agitur,

tur, eſſet dumtaxat ſuſcepti Baptiſmi memoria; non enim prohibere Sacerdotes poſſunt, quominus vel baptizati non ſint baptizati, vel Baptiſmi minime recordentur.

Propoſitio 3. Nullum omnino peccatum eſt, quod per Pœnitentiæ Sacramentum dimitti non poſſit.

Probatur. Chriſtus Matth. 18. v. 18. Apoſtolis ſuis ait: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*. Quo teſtimonio S. Ambroſius lib. 1. de pœnit. c. 3. Novatianos levioribus tantum peccatis veniam concedentes ita refellit: *In eo igitur patrem veſtrum*, Novatianum, *propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda a vobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini. Sed Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.*

Cyprianus etiam epiſt. 57. alias 54. quæ Synodica eſt, hæc ad Cornelium ſcribit: *Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſeculo recedentes ſine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur.*

Item Hilarius in cap. 18. Matth. n. 10. inquit: *Neque fas eſt, nos ex præſcripto legis, dan-*

dandæ veniæ numero concludi ; cum per Evangelii gratiam ſine modo nobis a Deo fuerit indulta.

Confirmatur id ipſum innumeris Divinæ erga nos Clementiæ argumentis, quorum nonnulla collegit S. Pacianus in epiſt. 1. ad Sympronianum, inquiens: *Quid ad illa tot ſimilitudinum Dominicarum argumenta reſpondent? Quod drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam; quod paſtor ovem reportat erraticam; quod filio revertenti poſt prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis epotata, pater blandus occurrit, & invidum fratrem oſtenſa ratione caſtigat, Filius, inquiens, meus hic mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus eſt: Quid ille in via vulneratus, a Levita & Sacerdote præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Eccleſiis. Epheſios deſertæ dilectionis accuſat, ſtuprum Tiathyrenis imputat, Sardos in opere ceſſantes, Pergamenos docentes diverſa reprehendit, Laodicenorum divitias inurit; & tamen omnes ad pœnitentiam ſatisfactionis invitat.* Aliorum Patrum teſtimonia complurima leges apud Tournely, Berti, &c.

Objicies 1. contra 1. propoſ. Solius Dei eſt peccata dimittere; unde Iſaiæ c. 43. v. 25. ait ille: *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Non ergo Chriſtus pro dimittendis peccatis Sacramentum ullum inſtituit.

Deinde in veteri lege nullum tale extitit Sacramentum, licet neceſſaria tunc etiam fuerit pœnitentia omnibus, qui lethaliter deliquiſſent: Ergo neque inſtituendum erat Sacramentum illud

lud in nova lege, quæ gratiam nobis attulit & charitatem, neque aliquid de virtute pœnitentiæ derogavit.

Reſp. ad 1. ſolum Deum peccata dimittere auctoritate ſuprema, propriaque virtute: Sacerdotes autem ex Dei munere miniſterium ſuum exhibent, dum eadem peccata relaxant; quod & in Baptiſmo contingit. *Cur baptizatis*, inquiebat Ambroſius contra Novatianos in lib. 1. de pœnit. c. 8. *Cur baptizatis, ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo utique remiſſio peccatorum omnium eſt: quid intereſt, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum ſacerdotes vindicent? Unum in utroque myſterium eſt.*

Ad 2. Ex quo neceſſaria ſemper fuerit pœnitentia, quatenus virtus eſt, non recte concluditur in lege gratiæ non fuiſſe inſtituendam pœnitentiam, in quantum eſt Sacramentum, per quod facilius & ex opere operato peccatorum remiſſionem aſſequimur, & morali quadem certitudine veniæ erigimur, & conſcientiæ tranquillitate levamur. Nihil ergo pœnitentiæ virtuti detractum eſt, ſed major ei efficacia per Chriſtum acceſſit, dum ille clavium poteſtatem inſtituit; ſicuti Novatiano fatente, Baptiſmi inſtitutio nihil eidem virtuti detraxit.

Objicies 2. contra 2. propoſ. Marci c. 1. v. 4. legimus Joannem prædicaſſe *baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Non ergo Pœnitentiæ Sacramentum a Baptiſmo diſtinguitur.

Apoſtolus inſuper ad Epheſ. 5. v. 25. ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lava-*

cro

cro aquæ in verbo vitæ , ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam , &c. Soli ergo Baptiſmati tribuenda eſt omnis mundatio , criminumque remiſſio . Unde S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. c. 33. recitatis his Apoſtoli verbis ait : *Sic accipiendum eſt , quod ait Apoſtolus , ut eodem lavacro regenerationis , & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur, atque ſanentur ; non ſolum peccata quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur.*

Reſp. ad 1. Baptiſmus Joannis, qui a Chriſti baptiſmo diſtinguitur, appellatur baptiſmus *pœnitentiæ*, quia propria virtute Spiritum Sanctum minime conferebat, atque in eo Præcurſor Domini ad ſe confluentes hortabatur , ut eidem Domino viam per pœnitentiam præpararent. Lege quæ ſcripſimus lib. 25. cap. 1.

Ad alterum. Idcirco renovatio omnis & gratia Baptiſmo tribuitur, quia in illo Chriſtum induimus , & ad ſpiritualem vitam primo renaſcimur; eo ferme pacto , quo nativitati tribuitur ſubſequens corporis incrementum , robur, perfectio virilis , morborumque ſanatio ; quæ tamen , etiamſi naturalis facultas in his operetur , abſque externis adminiculis , cibo nempe, potu, medicamentis , aliiſque ſimilibus , obtineri non poſſunt . Ita licet omnis peccatorum remiſſio , etiam ſubſequens, *fundamentaliter*, ac *radicaliter* ſit adſcribenda Baptiſmati ; non ideo Pœnitentiæ Sacramentum aut non eſt neceſſarium, aut a Baptiſmo non differt.

Denique S. Auguſtinus aperte hanc ſententiam

tiam ſuam exponit, poſt objecta verba ſubjungens: *Quid enim prodeſſet vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet? In ipſa quoque Dominica Oratione, quæ quotidiana eſt noſtra mundatio, quo fructu, quo affectu diceretur*, Dimitte nobis debita noſtra, *niſi ab eis qui baptizati ſunt diceretur? &c.*

Objicies 3. contra 3. propoſ. Chriſtus Matth. 12. v. 31. ait: *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Paulus etiam ad Hebr. 6. v. 4. ſcribit: *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, ... & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes Filium Dei*. Et cap. 10. v. 26. in eadem epiſtola inquit: *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*. Ex quibus inferebant Novatiani eſſe peccata quædam quæ ab Eccleſia per clavium poteſtatem ac Pœnitentiæ Sacramentum remitti non poſſunt.

Reſp. ad 1. blaſphemiam Spiritus, ſive in Spiritum Sanctum in objecto Matthæi textu eſſe pervicaciam illorum, qui ex ingenti malitia manifeſtam veritatem oppugnant, & Chriſti miracula dæmonum virtuti tribuunt, Spiritus Sancti gratiam denegantes: cujuſmodi erant Phariſæi, qui eodem in cap. v. 24. de Chriſto dicebant: *Hic non ejicit dæmones niſi in Beel-*

zebub principe dæmoniorum. Illud vero peccatum dicitur non remitti, non abſolute quidem, ſed relate ad cetera peccata, quæ facilius remittuntur; quia vel ex ignorantia, vel ex infirmitate procedunt, ideoque illam habent reſipiſcentiæ ſpem, quæ oritur ex veritatis aſſecutione, per quam ignorantia propulſatur, atque ex terrenarum cupiditatum depreſſione, per quam ſanatur infirmitas. Unde Chryſoſtomus hom. 42. in Matth. ait: *Spiritusne blaſphemia non dimittetur pœnitentibus? Quod omnino falſum eſſe patet. Nam & hoc peccatum dimiſſum ſcimus, cum multis eorum, qui talia in Spiritum Sanctum dixerant, ignotum eſſe conſtet. Quid igitur eſt quod dicit? Significare voluit multo minus ceteris hoc eſſe ignoſcibile ac veniale. Quamnam ob rem? Quia videlicet quiſnam eſſet Chriſtus ignorabant: Spiritus autem Sancti gratia multis & magnis ſignis ſe ipſam manifeſtaverat*. Lege S. Bonaventuram in cap. 12. Lucæ v. 10. & Lyranum in objectum Matthæi locum.

Ad alterum reponimus cum S. Thoma in 3. p. q. 84. a. 10. ad 1. *quod quia apud Judæos erant ſecundum legem quædam lavacra inſtituta, in quibus pluries ſe ab immunditiis purgabant; credebant aliqui Judæorum, quod etiam per lavacrum Baptiſmi aliquis pluries purificari poſſet. Ad quod excludendum Apoſtolus ſcribit Hebræis, quod* impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, *ſcilicet per Baptiſmum*, rurſum renovari ad pœnitentiam, *ſcilicet per Baptiſmum, qui eſt* lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, *ut dicitur ad Titum 3. Et rationem aſſignat ex hoc, quod per Baptiſmum* be-

homo Chriſto commoritur: unde ſubditur: Rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.

Seraphicus etiam Doctor in 4. d. 14. p. 2. a. 1. q. 2. ait: *Quod objicitur in contrarium de verbo Apoſtoli*, Impoſſibile eſt, &c. *poteſt fieri vis in hoc quod dicit*, impoſſibile; *quia non ex viribus humanis. Vel*, impoſſibile, *ideſt difficile: loquitur enim de imperfectis, qui difficulter reſurgunt. Vel, ut fiat vis in pœnitentia, quia loquitur de renovatione, quæ eſt in pœnitentia, quam ſequitur Baptiſmus: hæc enim virtutem totam habet ab hoſtia paſſionis; & de hac dicit Apoſtolus:* Non relinquitur hoſtia pro peccato.

Huic denique interpretationi, quæ per *hoſtiæ* nomen intelligit Chriſti paſſionem & mortem, cui in Baptiſmo configuramur, aperte Chryſoſtomus favet hæc inter alia ſcribens hom. 20. in epiſt. ad Hebræos: *Non tollit*, Apoſtolus, *pœnitentiam, neque eam, quæ per pœnitentiam fit, placationem, .. ſed ſecundum aufert lavacrum. Non enim dixit, non eſt amplius pœnitentia, neque eſt amplius remiſſio; ſed, non eſt amplius hoſtia, hoc eſt, non eſt amplius crux ſecunda: hoc enim vocat hoſtiam, &c.*

Alia inſuper Scripturæ loca Novatiani objectare ſolebant, in quibus ſermo non fit de Eccleſiæ poteſtate in remittendis peccatis, ſed de execrabili impiorum conditione, de ſcelerum atrocitate, ac de falſa quorundam pœnitentia; proindeque ſi quid ea loca probarent, evincerent nec apud Deum graviora peccata miſericordiam invenire; quod Novatiani dicere auſi non fuerunt. Huc tandem recolenda monemus, quæ in lib. 17. c. 4. diximus aſſerentes Deum

Deum peccatoribus omnibus aliquam ſufficientem gratiam non negare.

CAPUT II.

Quænam eſt hujus Sacramenti materia?

PAſſim alibi notatum eſt, quodlibet novæ legis Sacramentum materia, formaque conſtare, ac materiam vel remotam eſſe, vel proximam. Quamvis vero firma ſit Catholicorum aſſertio, ſola & omnia poſt Baptiſmum commiſſa peccata eſſe remotam hujuſce Sacramenti materiam; in ſtatuenda tamen materia proxima nonnihil inter ſe illi diſcrepare videntur. Etſi enim fatentur omnes, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem ad Pœnitentiæ ſacramentum abſolute requiri; inficiantur tamen aliqui eoſdem pœnitentis actus eſſe eſſentiales ſacramenti partes, & ad illud uti proximam materiam pertinere. At hæ quidem Scholaſticorum tricæ ſunt. Lutherus autem tota aberrans via, duas tantum pœnitentiæ partes admiſit, nempe terrores conſcientiæ incuſſos agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, ſeu abſolutione, qua quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata.

Propoſitio 1. Originale peccatum non eſt remota materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Probatur. Pœnitentia inſtituta a Chriſto eſt uti judicialis actus qui exerceri dumtaxat circa illos

illos poteſt, qui ſubduntur Eccleſiæ: atqui Eccleſiæ non ſubduntur, qui Baptiſma minime receperunt, & originali labe fœdantur. *Conſtat certe*, inquit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 2. *Baptiſmi miniſtrum judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus*. Quid enim mihi, *inquit Apoſtolus*, de iis, qui foris ſunt, judicare?

Bene inſuper ait Seraph. Doctor in 4.d.16.p.2. a.1.q.1. quod *Baptiſmus ordinatur contra originale; ſed non ſunt duo remedia contra idem: ergo pœnitentia non eſt remedium contra originale.* Deinde, *omnis pœnitentia eſt reſpectu actus proprii; pœnitet enim homo de eo, quod fecit ipſemet, non de alieno: ſed originale peccatum eſt per actum alienum: ergo de eo non poteſt eſſe pœnitentia*. Vide etiam S. Thomam in p. 3. q. 84. a. 2. ad 3.

Propoſitio 2. Solum, & omne actuale peccatum, quod poſt Baptiſma committitur, eſt remota materia Sacramenti Pœnitentiæ; & mortale quidem eſt materia neceſſaria, veniale vero libera & ſufficiens.

Prima pars probatur ex dictis. Nam poteſtas clavium quam Chriſtus conceſſit Eccleſiæ, eos dumtaxat ſpectat, qui poſt Baptiſmum ſolvendi ſunt vel ligandi; qui nempe, uti citato in cap. ſubdit Synodus Tridentina, ſunt *domeſtici fidei, quos Chriſtus Dominus lavacro Baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit*. Lege S. Bonaventuram citato loco q. 2.

Cum deinde quodlibet mortale peccatum poſt Baptiſma commiſſum aliter, quam per Pœnitentiam, dimitti non poſſit; evidenter infer-

tur, idem peccatum eſſe neceſſariam hujuſce Sacramenti materiam. Unde Tridentina Synodus in laudatæ ſeſſionis cap. 5. ex univerſæ Eccleſiæ ſententia docet, quod *Dominus noſter Jeſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderint*.

Quod præterea venialia peccata ſint ſufficiens iſtius Sacramenti materia; patet 1. quia ſunt vera peccata, quæ poſſunt clavibus Eccleſiæ ſubjici; 2. quia ſine ulla peccatorum diſtinctione Chriſtus dixit, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* 3. quia ſolent pii homines ſola peccata venialia confiteri, cum ſe lethalis noxæ reos non eſſe cognoſcunt.

Poſtremo, venialia peccata eſſe dumtaxat liberam, non neceſſariam ſacramenti Pœnitentiæ materiam, docet Concilium Tridentinum in nuper citato loco, ubi ait: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam recte, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt*: Conſule S. Bonaventuram in 4. d. 17. p. 3. a. 2. q. 1. Sed hac de re clarius agemus, quum inferius de confeſſionis integritate tractabimus.

Propoſitio 3. Tres actus pœnitentis, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio ſunt proxima materia Sacramenti Pœnitentiæ, ejuſque partes.

Probatur. In libro 24. c. 2. jam a nobis oſtenſum eſt, novæ legis Sacramenta materia tanquam

quam determinabili, & forma tanquam determinativa conſtare: atqui in pœnitentiæ ſacramento, non niſi tres actus illi proximæ materiæ rationem habere poſſunt. Eſt enim inſtitutum a Chriſto per modum judicii, in quo peccator Deo reconciliatur per ſententiam Sacerdotis: ad illud vero judicium tria neceſſario requiruntur; contritio ſcilicet, ſeu dolor de peccatis, confeſſio ſeu eorundem peccatorum declaratio, per quam Judex cognita cauſa poſſit proferre ſententiam, & ſatisfactio pro reparanda Deo illata per peccatum injuria.

Id etiam confirmatur ex Florentino Concilio, quod in Decreto Unionis inquit: *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Secunda eſt oris confeſſio ... Tertia ſatisfactio pro peccato, ſecundum arbitrium Sacerdotis.*

Tridentinum quoque Concilium ſeſſ. 14. c. 3. ait: *Sunt quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Id etiam repetit in ejuſdem ſeſſionis canone 4.

Propoſitio 4. Neque incuſſi conſcientiæ terrores, neque concepta ex Evangelio fides, uti Lutherus effutiit, ſunt proxima materia, parteſque Pœnitentiæ.

Probatur. Illæ cenſendæ ſunt partes, & proxima materia in ſacramento Pœnitentiæ, quæ

ab ipſa pœnitentiæ virtute promanant: atqui terrores incuſſi, & fides a virtute pœnitentiæ non promanant, ſed eam antecedunt, & inchoant vel inducunt. Sicut ergo illatio iſta non tenet: *Cognitio dilectionem præcedit: cognitio itaque eſt dilectio, aut pars dilectionis*: ita neque hæc altera valet: *Terrores incuſſi, & fides pœnitentiam antecedunt: ſunt igitur pœnitentiæ partes.*

Deinde, hæretici aſſerunt terrores naſci, cum Dei verbo redarguuntur peccata. Hæc autem non redarguuntur, niſi ut peccator percipiens patratorum a ſe criminum fœditatem, debitumque ſupplicium, timore concutiatur: Illi ergo terrores peccatoribus incutiuntur ex culpæ diſcuſſione, & atrocitate ſupplicii: Atqui per eoſdem hæreticos, dolor proveniens ex terrore, pœnarumque formidine, non pœnitentem aliquem facit, ſed hypocritam magis & peccatorem. Ergo terrores illi, in hæreticorum ſententia, ſalutaris pœnitentiæ pars eſſe non poſſunt.

Præterea, arbitrantur hæretici veram fidem in peccatore non eſſe; quando igitur peccatori offertur per Evangelium remiſſio, quomodo poteſt ille credere, & juſtificari per fidem?

Poſtremo, vana eſt illa hæreticorum fiducia, & fidei certitudo de obtenta peccatorum remiſſione, uti oſtenſum a nobis eſt in lib. 23. c. 5.

Objicies 1. contra 3. propoſ. Contritio cum ſit internus pœnitentis actus, non eſt ſenſibilis: non ergo poteſt eſſe materia proxima, vel pars Sacramenti, quod eſt ſenſibile ſignum.

Interdum quoque Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtratur homini non confeſſo, veluti ſi re-

repente obmuteſcat, aut vi morbi oppreſſus, linguæ aut mentis etiam uſum amiſerit, dum tamen pœnitentiæ ſigna præceſſerint.

Ad hæc, valet Pœnitentiæ ſacramentum ſine ſatisfactione; ut puta cum pœnitens rationis uſu deſtitutus abſolvitur, aut cum ille ſtatim poſt receptam abſolutionem expirat.

Reſp. ad 1. Etſi contritio per ſe ſenſibilis non ſit, redditur tamen illa ſenſibilis per exteriores confeſſionis, & ſatisfactionis actus, ac per alia exteriora ſigna doloris interni; ſicut internus conſenſus contrahentium matrimonium per verba, vel per alia exteriora ſigna ſenſibiliter innoteſcit.

Ad 2. Oris confeſſio divino quidem jure requiritur, cum eam pœnitens edere poteſt; quod ſi ore confiteri nequiverit, ſatis erit confeſſio per nutus & alia quæcunque pœnitentiæ ſigna, uti in objecto caſu contingit.

Ad 3. Satisfactio non eſt eſſentialis materia ſacramenti Pœnitentiæ, ſed ſolummodo integralis; hoc eſt, ſine ea habentur omnia quæ ad ſacramenti eſſentiam pertinent, deeſt tamen aliquid ad integritatem Pœnitentiæ requiſitum. Sicut homo corpus habens & animam, ſed brachio vel pede truncatus, habet quidem omnia quæ ſibi eſſentialia ſunt; non tamen omnia habet, quæ ad integritatem ejus neceſſario exiguntur. Id autem intelligendum eſt de actuali ſatisfactione, non de ſatisfaciendi propoſito, quod ad eſſentiam Pœnitentiæ ſpectat; ſi enim peccator tale propoſitum, ſaltem implicite, non haberet, ſacramentum confici omnino non poſſet.

Hic cum Seraph. Doctore in 4. d. 16. p. 1. dub. 2. notandum eſt, *quod ſatisfactio dicitur*

dupliciter. Uno modo ſatisfactio dicitur ipſa reconciliatio: & ſic quia omnes partes pœnitentiæ ſunt ad reconciliationem ordinatæ, quælibet poteſt dici ſatisfactio, ſive ſatisfactoria. Alio modo dicitur ſatisfactio perſolutio pœnæ debitæ: & ſic competit proprie uni parti pœnitentiæ, quæ eſt aſſumptio, ſive adimpletio pœnæ injunctæ, ſcilicet a Sacerdote: *nihilominus tamen aliis partibus competit per accidens, utpote contritioni ratione doloris conjuncti, qui eſt in parte ſenſibili; ſimiliter confeſſioni ratione erubeſcentiæ.* At hac de re infra prolixius.

Objicies 2. Solus Sacerdos eſt miniſter ſacramenti Pœnitentiæ: atqui ſi pœnitentis actus eſſent ejuſdem ſacramenti materia, ipſe pœnitens, non vero Sacerdos eſſet miniſter. Et ſane proxima ſacramenti materia eſt proprius miniſtri actus; ita namque in Baptiſmo ſe habet ablutio, in Confirmatione chriſmatio, &c. At contritio, confeſſio, & ſatisfactio non a Pœnitentiæ miniſtro, ſed a ſubjecto, ideſt a pœnitente ponuntur.

Reſp. pœnitentis actus ad efficaciam hujus ſacramenti conferre, in quantum ſubſunt abſolutioni Sacerdotis; & pœnitens licet peccata deferat, non tamen abſolvit, in quo actu miniſterium ac judicium proprie vereque conſiſtit. Nam ille ſolus eſt judex, qui ſententiam profert, quamvis ad humanum quoque judicium aliæ operationes & perſonæ concurrant. Ad adjunctam vero rationem cum S. Thoma in 3. p. q. 84. a. 1. ad 1, advertimus, *quod in illis Sacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quæ ſuperabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia*

ex-

exterius : ſicut in Baptiſmo , ubi fit plena remiſſio peccatorum, & quantum ad culpam , & quantum ad pœnam ; & in Confirmatione , ubi datur plenitudo Spiritus, Sancti ; & in Extrema Unctione, ubi confertur perfecta ſanitas ſpiritualis , quæ provenit ex virtute Chriſti , quaſi ex quodam extrinſeco principio . Unde ſi qui actus humani ſunt in talibus Sacramentis , non ſunt de eſſentia Sacramentorum ; ſed diſpoſitive ſe habent ad Sacramenta . In illis autem Sacramentis, quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus, ipſi actus humani ſenſibiles ſunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia, & Matrimonio : ſicut etiam in medicinis corporalibus quædam ſunt res exterius adhibitæ , ut emplaſtra, & electuaria; quædam vero ſunt actus ſanandorum, puta exercitationes quædam.

Verum inſtabis. Novæ legis Sacramenta gratiam conferunt ex opere operato : Si autem recenſiti actus eſſent materia & partes in Sacramento Pœnitentiæ, non ex opere operato, ſed ex opere operantis gratia conferretur.

Reſpondemus, quod etiamſi actio ſacramentalis a ſuſcipiente fiat, non ob id valere dicitur Sacramentum ex opere operantis : nam & in Sacramento matrimonii juxta multorum opinionem ſuſcipientes faciunt ipſum Sacramentum, ſacramentalem ſcilicet actionem . Valet igitur utrumque ex opere operato , quia non valet ex materia operis , ſed ex promiſſione & inſtitutione divina , quæ ſi non eſſet , ex tali opere nunquam talis ſequeretur effectus; quemadmodum etiam de Baptiſmo , & de aliis Sacramentis hoc idem aſſeritur.

Objicies 3. Concilium Florentinum, & Tri-

dentinum, ut ſupra dictum eſt, actus pœnitentis non ſimpliciter & abſolute vocant hujus Sacramenti materiam, ſed *quaſi materiam*: non ergo neceſſe eſt actus pœnitentis agnoſcere, uti hujus Sacramenti partes, materiæ rationem habentes.

Reſp. pœnitentis actus vocari quaſi materiam, quia in hoc Sacramento pro materia aſſignari non poteſt res aliqua externa corporea, qualis eſt aqua in Baptiſmo, chriſma in Confirmatione, &c. Lege Catechiſmum Rom. p.2. c. 5. n. 13. Quod autem in hoc Sacramento non ſit alia materia magis propria ex eo patet, quod laudata Concilia cum hac de re ex profeſſo agerent, non niſi præfatos actus materiæ nomine deſignarunt: Tum Florentina Synodus præmiſerat Sacramenta omnia tribus perfici, nempe materia, forma, & miniſtro cum intentione, &c. Synodus inſuper Tridentina hos actus ſimpliciter *partes* appellat. Eadem poſtremo Concilia idcirco particulam illam *quaſi* appoſuerunt, ne fere communem Scotiſtarum loquendi modum damnare viderentur. Plures enim Scotiſtæ defendunt Pœnitentiæ Sacramentum eſſentialiter tantum in abſolutione conſiſtere, ea ratione permoti, quod etſi tres illi pœnitentis actus abſolute & ſimpliciter requirantur; hujus tamen Sacramenti miniſter eſt ſolus Sacerdos qui abſolvit, & abſolvendo gratiam confert, ac peccata remittit. Quæ quidem opinio ab ea quam cum Scotiſtis aliis, pluribuſque Theologis hucuſque defendimus, in ſola explicandi ratione diſſentit. Lege P. Maſtrium in 4. diſput. 5. q. 11. & 12. Ubi etiam veram hac de re Ven. Scoti mentem exponit.

CA-

CAPUT III.

Quid & quotuplex ſit Contritio.

INter pœnitentis actus, qui quaſi materia ſunt Sacramenti, primum ſibi locum vindicat Contritio; quod nomen a verbo *Contero* derivatur. Sicut enim corpus dicitur conteri, dum tunditur, & in pulverem, trituramque redigitur; ita translato vocabulo durum cor peccatoris conteri dicitur, dum divinæ gratiæ non obſiſtit, ac pœnitentiæ vi contunditur, ut peccatum omnino deponat. Hinc Doctor Angel. in ſupplem. q. 1. a. 1. ait: *Frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur; ſed comminui, vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in ſe ſolidum erat. Et quia ad dimiſſionem peccati requiritur, quod affectum peccati homo dimittat, quem per quandam continuitatem, & ſoliditatem in ſenſu ſuo habet; ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per ſimilitudinem.*

Multiplex a Theologis Contritionis definitio traditur; nos vero eam dumtaxat afferimus, quam Tridentina Synodus habet in ſeſſ. 14. cap. 4., videlicet: *Contritio animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero*. Hanc autem definitionem nunc breviter exponemus.

Contritio itaque dicitur 1. *dolor*, non quidem ille, quem ſenſu percipimus, vel experi-

rimur : hic enim non eſt contritio, ſed contritionis effectus, & teſtis : dolor ergo dicitur, prout eſt actus voluntatis, & mœror mentis, juxta illud Ezechiæ regis Juda apud Iſaiam c. 38. v. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*.

Dicitur 2. *deteſtatio de peccato commiſſo*: quia ad contritionem cordis mœſtitia, & animæ amaritudo non ſufficit, ſed ſincerum inſuper odium peccati requiritur : ſicut enim voluntas proſequi non poteſt bonum, niſi illud amando; ita fugere, ac dolere de malo non poteſt, niſi odio illud habendo. Quapropter damnata merito eſt propoſitio Lutheri dicentis, *Optima pœnitentia eſt nova vita*. Nam vera contritio *non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & incboationem, ſed veteris etiam odium continet*; uti citato in loco Synodus Tridentina declarat. Nempe quemadmodum ſi cum homine quis reconciliari voluerit, oſtendat oportet diſplicere ſibi, quod illum offenderit; ita qui reconciliari vult Deo, de offenſis in eum factis doleat neceſſe eſt.

Additur denique, *Cum propoſito, &c.* quia pœnitentia ſincera non eſt, niſi certam, ſtabilemque emendandæ vitæ voluntatem includat. Unde Joan. 7. v. 12. mulieri adulteræ dixit Chriſtus: *Vade, & jam amplius noli peccare* : & paralytico dixit Joan. 5. v. 14. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare*. Sic qui in gratiam cum amico offenſo redire vult, non ſolum dolere debet, quod eum offenderit, ſed & cavere, ne in poſterum amicitiam ejus abrumpat.

Duplex autem eſt contritio; *perfecta* ſcilicet, & *imperfecta*. Perfecta, quæ vere Contritio di-

dicitur, eſt dolor de peccato commiſſo ex amore Dei ſuper omnia conceptus, & charitate perfectus, cum propoſito non peccandi de cetero, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Contritio autem imperfecta, quæ vulgo *Attritio* dicitur, eſt dolor ac deteſtatio peccati commiſſi concepta vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu cum ſpe veniæ, voluntatem ulterius peccandi excludens.

Quærunt Scholæ Theologi, num contritio ab attritione eſſentialiter, vel accidentaliter diſtinguatur. Nos hac in re probabiliorem eorum ſententiam arbitramur, qui inter utrumque dolorem eſſentiale diſcrimen verſari dixerunt. Ut enim vulgo dicitur, actus eſſentialiter diverſi ſunt, quando objectum *formale* eſſentialiter eſt diverſum. Licet autem tam attritio, quam contritio ſit dolor de commiſſo peccato; ſub diverſa tamen ratione formali de illo dolet contritio, ac attritio. Nam contritio dolet de peccato, quatenus eſt injuria Deo illata, & compenſabilis per ſatisfactionem: attritio vero de eodem dolet, quatenus eſt malum ipſius peccatoris; quia nimirum peccato annexa eſt turpitudo, vel pœna gehennæ.

Sed duo hic alia breviter inveſtiganda ſuperſunt. Primum eſt, an contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliet etiam ante Pœnitentiæ ſacramentum: Alterum, an attritio ex gehennæ metu concepta ſit actus bonus, & laudabilis?

Circa primum turpiter Lutherus erravit affirmans, contritionem nunquam hominem Deo reconciliare, ſive ante, ſive in actuali ſuſcepti-

ptio-

ptione Pœnitentiæ. Id enim ex Synodo Tridentina refellitur quæ ſeſſ. 14. c. 4. inquit: *Docet præterea*, Sancta Synodus, *etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine ſacramenti voto non eſſe adſcribendam*. Hinc bene Doctor Angel. in ſuppl. q. 5. a. 1. argumentum iſtud inſtituit: *Virtus, & vitium eiſdem cauſis corrumpuntur, & generantur: ſed per inordinatum amorem cordis peccatum committitur: ergo per dolorem ex amore charitatis ordinato cauſatum ſolvitur; & ſic contritio peccatum delet*.

Cum vero Concilium Tridentinum citato in loco poſuerit particulam illam, *aliquando*, putarunt nonnulli, quos inter Eſtius in 4. d. 17. perfectam contritionem non ſemper hominem reconciliare Deo ante Sacramentum, ſed in neceſſitatis caſu dumtaxat, & raro; utputa cum mortis periculum urget, & Sacerdos haberi non poteſt.

At ex ſola contextus lectione colligitur, Tridentinos Patres per illud adverbium indicare tantummodo voluiſſe, contritionem, de qua initio capitis generatim dixerant, aliquando ex motivo veræ charitatis oriri, & eſſe perfectam, atque tunc ante Sacramentum juſtificare, aliquando elici ex alio quam charitatis motivo, ac tunc non juſtificare ſine Sacramento.

Et profecto Scripturæ charitati, & perfectæ contritioni vim tribuunt ſanctificandi hominem, & purgandi peccata, quin inter ordinarium, & neceſſitatis caſum ullo pacto diſtinguant. Ita Iſaiæ

Iſaiæ 30. v. 19. legitur: *Plorans nequaquam plorabis, miſerans miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi.* Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Et Joan. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum.* Denique Pſal. 31. v. 5. David ait: *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Super quæ Auguſtinus Concione 2. ſcribit: *Non jam pronunciat, ſed promittit ſe pronunciaturum, & ille jam dimittit:* quia nimirum etſi *non pronunciaverat ore, pronunciaverat corde.* Lege & Gregorium M. in ſeptem Pſalmos pœnit. Pſal. 2.

Hinc bene Catechiſmus Rom. p. 2. c. 5. n. 34. ſcribit: *Ipſa certe contritio nunquam illi* (Deo) *grata & accepta eſſe non poteſt; nam, inquit Propheta Pſal. 50. v. 19.* Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. *Quin etiam ſtatim ut eam mentibus noſtris concepimus, peccatorum remiſſionem nobis a Deo tribui, alio loco ejuſdem Prophetæ verba illa declarant, Pſal. 31. v. 5.* Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Atque ejus rei figuram in decem leproſis animadvertimus, qui a Salvatore noſtro ad Sacerdotes miſſi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati ſunt: Lucæ 17. v. 14. Ex quo licet cognoſcere veræ contritionis eam vim eſſe, ut illius beneficio, omnium delictorum veniam ſtatim a Domino impetremus.*

Sed contra objectat Eſtius. Catechumeno non ſufficit contritio cum voto ſuſcipiendi Baptiſmum, ut peccatorum ſuorum veniam conſequatur; ſed oportet, ut Baptiſmum reipſa ſu-

ſuſcipiat : ergo nec pœnitenti ſufficiens eſſe videtur contritio cum voto percipiendi Pœnitentiæ ſacramentum , ut juſtificetur , ante quam reapſe ad illud acceſſerit. Primæ propoſitionis veritas demonſtratur ex Auguſtino , qui tract. 13. in Joan. aperte ſic ait : *Quantumcumque Catechumenus proficiat , adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat : non illi dimittitur , niſi cum venerit ad Baptiſmum .*

Deinde, Bernardus ſerm. 1. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli ſcribit , quod *ſententia Petri præcedit ſententiam Cœli ;* idque alii etiam Patres aſſeruerunt : atqui ſi contritio charitate perfecta ordinarie juſtificaret ante Sacramentum actu ſuſceptum, dici id recte non poſſet.

Præterea, Synodus Tridentina ſeſſ. 13. cap.7. & can. 11. ſtatuit , neminem , quantumvis ſibi contritus videatur , abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debere. Id autem minime ſtatuiſſet , ſi hominem per contritionem perfectam ordinarie juſtificari putaſſet.

Reſp. ad 1. nego antecedens uti oſtenſum ſupra fuit in lib. 25. c. 12. prop. 2. Auguſtinus autem loquitur de Catechumenis qui Baptiſmum negligunt ac contemnunt , rati illum inutilem ſibi eſſe, ſuamque ſibi ſufficere ſanctitatem. Unde ſubjungit : *Quare oportebat ut Dominus baptizaretur ? Quia multi contempturi erant Baptiſmum , eo quod jam majore gratia præditi viderentur , quam viderant alios fideles . Verbi gratia , jam continenter vivens Catechumenus , contemneret conjugatum , & diceret ſe meliorem eſſe , quam ille ſit fidelis. Ille Catechumenus poſſet dicere in corde ſuo : Quid mi-*

mihi opus eſt Baptiſmum accipere , ut hoc habeam quod & iſte, quo jam melior ſum? Ejuſmodi Catechumenos merito redarguit Auguſtinus, eoſque ſuorum peccatorum ſarcinam adhuc portare recte pronunciat : nam non vera , ſed falſa eſt eorum converſio , falſaque prætenſa illa qua gloriantur excellentia . *Neque enim* , ait S. Doctor lib. 4. de Bapt. contra Donatiſtas c. 25. *ullo modo dicenda eſt converſio cordis ad Deum , cum Dei ſacramentum contemnitur* .

Ad 2. Ita Bernardus affirmat, non quia peccator , etſi perfecte contritus , ordinarie non juſtificetur antequam Sacramentum accipiat ; ſed quia cum ſæpe peccator haudquaquam ad Sacramentum accedat cum contritione perfecta per charitatem , ſed cum attritione ; ideo non niſi per Sacerdotis abſolutionem juſtificatur ; atque ita Petri ſententia plerumque ſententiam Cœli præcedit.

Ad 3. Idcirco Concilium ex Eccleſiaſtica conſuetudine ita conſtituit , ut Fideles majori cum cautione , & reverentia ad ſacram Menſam accederent . Nemo enim certus eſſe poteſt, an perfecta contritione tangatur ; cumque ad dignam Euchariſtiæ perceptionem maxima ſanctitas ac mundities requiratur , nihil profecto mirum , ſi Eccleſia innixa illis Apoſtolis verbis 1. Cor. 11. v. 28. *Probet autem ſeipſum homo, &c.* id jubere voluerit . Alia tandem quæ objicit Eſtius, diluta leges apud Tournely, Fraſſen, Gotti, &c.

Quod ad 2. dubium ſpectat , adverte adfirmaſſe Lutherum , quod attritio ex metu gehennæ concepta hominem hypocritam faciat , magiſque peccatorem. At omnino perperam , in-

inſciteque; uti ex multarum rationum ponde-re demonſtratur, ac præſertim 1. ex eo quod legitur Iſaiæ 26.v.18. *A facie tua, Domine, concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum*; ſive uti Septuaginta legunt, *A timore tuo, &c.* Baptiſta quoque ex pœnæ timore homines ad pœnitentiam excitabat, inquiens, Lucæ 3. v. 7. *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Ipſe denique Chriſtus Matth. 10. v. 28. peccatores hortatus eſt ad timorem Dei pœnam æternam infligentis: *Timete eum qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*. Super quæ verba S. Auguſtinus ſerm. 161. alias 18. de verbis Apoſtoli c. 8. ait: *Cum Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum, comminationem ingeminaverit, dicturus ego ſum, Male times iſta? Non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil eſt quod magis timere debeas*.

Hinc egregie ſcribit S. Bonaventura in 3. d. 34. p. 2. a. 1. q. 1. „ quod abſque dubio timor „ ſervilis eſt donum Spiritus Sancti. Et ratio „ hujus eſt, quoniam ſicut donum Dei eſt „ noſſe, ſive credere pœnas futuras, pro eo „ quod ibi eſt quædam cordis illuminatio, & „ directio: ſic donum Dei eſt illas pœnas æter- „ nas refugere, & timere, pro eo quod ex „ tali dono eſt quædam cordis emollitio, & „ fluxus concupiſcentialis reſtrictio, & in hoc „ quædam rectificatio. Quod enim ibi ſit emol- „ litio, ſatis innuit Iſaias Propheta, cum dicit „ c. 63. v. 17. *Induraſti cor noſtrum, ut non ti-* „ *meremus te*. Quod ibi ſit fluxus concupi- „ ſcentialis reſtrictio, innuit Propheta in Pſal. 118.

„ 118. cum dicit : *Confige timore tuo carnes* „ *meas* : quod quidem non ſolum fit timore „ caſto, ſed etiam ſervili, quo timentur æterna ſupplicia, & timetur divina juſtitia. Et „ propter illorum timorem ceſſat homo a peccatorum perpetratione, licet non omnino „ ceſſet a voluntate, ſicut dicit Gloſſa; quod „ totum eſt ex divino munere.

Bene ergo recteque Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 8. peſtilentiſſimum hunc Lutheranorum proſcripſit errorem, ita decernens: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere; anathema ſit*, Legenda eſt eadem S. Synodus in ſeſſ. 14. cap. 4.

Verum opponunt 1. Manifeſta perverſitas eſt ordinare majus bonum ad bonum minus: Dolor autem ex ſolo gehennæ metu conceptus ordinat majus bonum, nempe vitationem culpæ, ad bonum minus, ad pœnæ ſcilicet vitationem.

2. Malus eſt timor, qui ex amore creaturæ procedit : at gehennæ timor ex amore creaturæ, ſui nempe, procedit ; ideo enim homo gehennam timet, quia ſeipſum diligit.

3. Legitur in epiſt. 1. Joan. 4. v. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem*: malus itaque eſt ſi a charitate timor expellitur.

4. Qui temporalis pœnæ timore a furto abſtinet, non bene neque laudabiliter agit ; ergo &c.

Reſp. ad 1. diſtinguendo majorem, qui majus bonum ordinat ad bonum minus, tanquam ad finem ultimum, concedo ; tanquam ad fi-

nem non ultimum, nego majorem. Sicut enim qui ad obtinendam ſanitatem ſacrificia preceſque refert, minime peccat, ſi reſpiciat ſanitatem dumtaxat ut finem proximum; ita qui attritionem refert ad vitandas pœnas, tanquam ad finem proximum, male non agit. Peccaret autem, ſi pœnas pro ultimo fine reſpiceret. Sicut peccaret, qui taliter propter pœnas peccata deteſtaretur, ut ſi pœnæ non eſſent, nullo de peccatis modo doleret.

Ad 2. patet reſponſio ex S. Bonaventura in citato ſuperius loco q. 2. ubi ait, „ quod timor „ ſervilis non habet ortum ex amore libidino- „ ſo, ſed poteſt habere ortum ex amore na- „ turali. Amor enim naturalis dupliciter di- „ citur. Uno modo ille, qui eſt cum ipſa na- „ tura plantatus. Alio modo ille, qui eſt ex „ naturali affectu, & voluntario exercitio ac- „ quiſitus ſine gratiæ dono: & ex tali amore „ poteſt homo peccator ſeipſum ſine peccato „ amare, & mala ſua fugere, ſive præſentia, „ ſive futura; & ex tali amore timor ſervilis „ habet procedere. Si enim homo ſe ipſum „ amat ad hoc ut acquirat ſalutem, & timeat „ æterna tormenta incurrere, talis affectio amo- „ ris, quamvis non ſit ex charitate, poteſt ta- „ men eſſe abſque libidine.

„ Aliter poteſt dici, quod ſicut timor mun- „ danus, quo quis timet amittere mundana, „ eſt ex amore mundi, & timor humanus ex „ amore temporalis ſalutis; ſic timor ſervilis, „ cum aliquis timet incurrere æterna tormen- „ ta, eſt ex amore æternæ ſalutis, & beatitu- „ dinis; & iſte amor, quantum eſt de ſe, non „ eſt culpabilis, ſed eſt vel naturalis, vel gra-

„ tuitus a gratia gratis data, vel gratuitus a
„ gratia gratum faciente: & timor ſervilis be-
„ ne poteſt eſſe ex amore ſalutis primo, vel
„ medio modo dicto.

Ad 3. reſpondet ibidem S. Doctor, „ quod
„ aliquis actus poteſt eſſe incompoſſibilis alicui
„ ratione circumſtantiæ propriæ, quam habet
„ ex proprio habitu, vel ratione alicujus an-
„ nexi. Cum ergo dicitur, quod actus timo-
„ ris ſervilis eſt incompoſſibilis charitati, hoc
„ non eſt ratione ipſius actus per ſe, & ſecun-
„ dum ſe, quia habens charitatem poteſt bene
„ timere Deum ratione pœnæ; ſed hoc intel-
„ ligitur ratione annexi; quod facit ipſum de-
„ ficere a merito charitatis; & ideo ex hoc
„ non ſequitur, quod actus timoris ſervilis ſit
„ malus; ſed vel eſt malus, vel eſt in homine
„ ſecundum ſtatum malum; & concluſio eſt
„ vera ratione alterius partis.

Ad ultimum reſpondemus cum eodem S. Doctore in q. 1. citati articuli: „ Ad illud, quod
„ objicitur de latrone, qui timet furari pro-
„ pter ſuſpendium, dicendum quod non eſt
„ ſimile, ſicut jam tactum eſt: quia naturali
„ cognitione, & æſtimatione latro cognoſcit
„ illud ſupplicium, & illud reformidat: non
„ autem ſic eſt de ſupplicio infernali; imo
„ oportet quod timeat per fidem, & amplius
„ quod cor quodammodo mollificetur, ut ex-
„ horreat illa ſupplicia ad fidei inſtinctum.

Ut inſuper omnis auferatur ambages, hanc ejuſdem S. Bonaventuræ expoſitionem adjungimus ex laudata quæſt. 2. „ Cum dico timorem
„ ſervilem, duo dico, videlicet ipſum habi-
„ tum, quo anima diſponitur ad timendum

 „ Deum,

„ Deum, ut punientem eos qui prævaricantur;
„ & ulterius nomine ſervitutis importatur de-
„ formitas peccati, quæ annexa eſt illi habitui
„ in eodem homine, ratione cujus ille homo
„ dicitur eſſe ſervus peccati, & timor in eo
„ exiſtens dicitur eſſe timor ſervilis. Per hunc
„ etiam modum cum dico aliquem timere ſer-
„ viliter, duo dico, videlicet actum ab illo
„ habitu egredientem; & voluntatis ſervili-
„ tatem, ſive deformitatem concomitantem.
„ Sed attendendum quod hoc poteſt eſſe du-
„ pliciter, aut ita quod deformitas illa volun-
„ tatis concomitetur quantum ad habitum, aut
„ quantum ad actum. Si concomitatur ſolum
„ quantum ad habitum, ſic poteſt eſſe, quod
„ aliquis ſerviliter timeat, & tamen motu il-
„ lo non peccabit: quia ſi ex recogitatione
„ pœnarum aliquis abhorret offendere Deum,
„ hoc poteſt eſſe præter omne peccatum. Si
„ autem concomitatur in actu, quamvis ipſum
„ timere de ſe non ſit malum, tamen ratione
„ deformitatis actualiter annexæ depravatur;
„ ſicut aliquis qui timet pœnas, & timendo
„ dolet, quod tales pœnæ infliguntur pro cul-
„ pa, & actu etiam concupiſcit peccare, ſi
„ non eſſet illa pœna; & hoc modo timere
„ ſerviliter eſt peccatum, & malum. Hoc au-
„ tem non eſt ſemper, cum quis movetur ti-
„ more ſervili; alioquin per uſum illius doni
„ magis ſe homo a gratia elongaret, quam
„ præpararet, quod plane falſum eſt. Et ideo
„ concedendum eſt, quod uſus timoris ſervilis
„ poteſt eſſe bonus, licet non ſit bonus boni-
„ tate meriti, ſed magis bonitate præparante,
„ vel ordinante ad meritum, quæ ſimul ſtat
„ cum peccato.

Op-

Opponunt 2. plura Auguſtini teſtimonia, quibus oſtenditur eum qui ſerviliter timet habere peccandi voluntatem, ac dolere quod lex nonnulla prohibeat; ideoque victorem non eſſe peccati, ſed juſtitiæ inimicum. Ita ille tum alibi paſſim docet, tum potiſſimum Concione 25. in Pſal. 118. & in epiſt. 145. n. 4.

At cum Seraph. Doctore in quæſt. mox citata reponimus, „ quod illud verbum Augu- „ ſtini non intelligitur, quod ſemper quando „ timet doleat actu, & ſimiliter, quod volun- „ tas peccandi ſemper ſit in actu; ſed hoc „ dicit, quia manet in habitu, & radice. Li- „ cet autem voluntas ſit per peccatum defor- „ mata, & regnet in ea malus amor; poteſt „ tamen aliquando moveri ad aliqua bona ope- „ ra in genere, vel ex circumſtantia per ali- „ quam gratiam gratis datam non committen- „ do culpam, ſicut patet per multa exempla, „ & ſic poteſt eſſe in parte iſta.

Opponunt 3. Amare Deum propter temporalia principaliter, eſt peccatum: ergo ſimiliter timere Deum propter pœnas principaliter, eſt peccatum: atqui id importat timere ſerviliter: ergo &c.

Reſp. cum eodem S. Doctore, „ quod non „ eſt ſimile de amore, & timore: quia amor „ eſt ille, qui facit frui, & eſt ejus quietare, „ vel ad aliud inclinare: & ideo peccat qui „ diligit Deum propter temporalia principali- „ ter, quia facit de via finem, & de fine „ viam: non ſic autem eſt ex parte timoris. „ Alia eſt ratio, quia cum quis amat Deum „ propter temporalia, duo ſunt ibi amata: ſed „ cum quis timet Deum propter pœnas, quas

 „ in-

„ infligit, unus ſolus eſt quem timet. Qui „ enim timet habentem cultellum, uno & eo„ dem timore timet cultellum, ſive plagam „ cultelli, & actionem percutientis: & ideo „ non eſt ſimile hinc, & inde. “ Plurima huc ſpectantia, lectuque digniſſima tradit Seraph. Doctor laudata in diſtinctione, ubi Magiſtri textum exponit, & per aliquot quæſtiones de multiplici timoris ſpecie, ac proprietate perſpicue egregieque pertractat. Vide pariter S. Thomam in 2. 2. q. 19. a. 4.

CAPUT IV.

Qualis requiratur dolor ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ.

DUplex hic diſtinguenda attritio eſt; naturalis ſcilicet, & ſupernaturalis. Prima eſt, quando vel aliquis naturali lumine cognoſcens peccati turpitudinem, pœnamque ei naturaliter debitam, naturali dumtaxat affectu movetur ad deteſtandam ipſam culpam propter turpitudinem ejus, aut pœnam: vel etiamſi lumine fidei ſupernaturalis & divinæ cognoſcat peccati turpitudinem, pœnamque in inferno peccatoribus deſtinatam; non tamen ex ſupernaturali, ſed ex naturali motivo, & affectu ad peccati odium excitatur.

Supernaturalis vero tunc eſt attritio, quando turpitudinem peccati, & pœnam illi debitam lumine ſupernaturali cognoſcimus, ac inſuper

per ex ſupernaturali motivo & affectu peccata od o inſectamur. De hac itaque attritione nunc loquimur, inquirentes, an ipſa ſola ſufficiens ſit diſpoſitio, ut peccator gratiam in Sacramento Pœnitentiæ conſequatur; an vero requirat ulterius initialem aliquem charitatis amorem.

Propoſitio 1. Ad valide & cum fructu percipiendum Pœnitentiæ Sacramentum requiritur attritio, quæ Dei amorem charitatemque, uti objectum finemque, reſpiciat.

Hæc ſane concluſio, quam Catholicorum nemo negat, facili expoſitione, ac ratione probatur. Ille enim qui eſt attritus, pœnarumque timore concuſſus, conſiderans aliam non eſſe viam pœnas illas evadendi, quam ut deteſtetur peccatum, Deo reconcilietur, eundemque ſibi amicum efficiat; reipſa peccatum cum ſpe veniæ execratur, & eo deſiderio ac fine ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit, ut poſſit per illud in Dei amicitiam gratia & charitate reſtitui. Et profecto ex Tridentino Concilio ſeſſ. 14. cap. 4. ea attritio ad ſacramentum pœnitentiæ requiritur, quæ *donum Dei ſit, & Spiritus Sancti impulſus, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat*. Atqui, uti perſpicuum eſt, viam ſibi pœnitens ad juſtitiam parare non poteſt, niſi objectum illud finemque de quo nunc loquimur, præ oculis habere ſtuduerit; nempe non alio fine debet ille ad pœnitentiæ ſacramentum accedere, niſi ut in Dei gratiam, & amicitiam revertatur. Hinc Catechiſmus Rom. p. 2. c. 5. n. 7. inter ea, *quæ ſibi tanquam finem proponit is, quem vere peccati pœnitet*, id tertio loco recenſet, *ut homo*

in Dei gratiam redeat, in cujus offenſionem, & odium propter peccati fœditatem incurrit.

Propoſitio 2. Attritio ad percipiendum fructum Sacramenti Pœnitentiæ requiſita, ſpei quidem amorem importare debet, non autem charitatis: id uti probabilius affirmamus.

Et ſane ex dictis in lib. 14. c. 10. conſtat, quod amor ſpei feratur in Deum ex affectu commodi ipſius amantis, quem Scholæ Theologi ſupernaturalis concupiſcentiæ amorem appellare conſueverunt: atqui hunc Dei amorem importare neceſſario debet attritio, ut fructum ex Sacramento Pœnitentiæ conſequatur. Oportet enim, ut peccator ſi Deum propter ſe ex juſtitiæ affectu non diligit, diligat ſaltem, ut bonum ſibi; nempe uti fontem omnis juſtitiæ, & gratiæ, quam ab ipſo ſperare tenetur. Hinc Synodus Tridentina ſeſſ. *6.* cap. *6.* inter diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitas Dei amorem enumerat, inquiens: *Diſponuntur autem*, peccatores, *ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt,... & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, &c.*

Quod autem ſpei amor ſufficiat, & amor charitatis non neceſſario requiratur, ex eodem Tridentino Concilio ſeſſ. 14. cap. 4. non obſcure

re videtur inferri. Eo enim in loco Concilium poſtquam contritionem in perfectam, imperfectamque diſtinxit, adjecit, quod imperfecta contritio, quæ etiam attritio dicitur, *ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, non ſolum non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei eſt, & Spiritus Sancti impulſus, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat: & quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Ex quibus apparet, loqui Concilium de attritione includente quidem ſinceram peccati deteſtationem cum ſpe veniæ, quin ullam remiſſæ vel initialis charitatis mentionem adjungat; ac de eadem attritione pronunciare, quod licet per ſe ſine ſacramento non juſtificet, ut facit contritio charitate perfecta; diſponit tamen ad gratiam per ſacramentum Pœnitentiæ obtinendam: Hæc igitur attritio eſt ſufficiens diſpoſitio, licet ex parte, ut ajunt, ſubjecti, nullum includat charitatis amorem.

Deinde, Sacramentum Pœnitentiæ non debet neceſſario ſupponere hominem per juſtificantem gratiam jam ſanatum, & abſolutum: atqui id ſupponeret, ſi pro neceſſaria diſpoſitione requireret charitatis amorem, licet inchoatum, atque remiſſum. Probatur major: Sacramentum Pœnitentiæ eſt ſacramentum mortuorum, inſtitutum ad modum remedii, & ad formam judicii: at quod mortuorum Sacramentum eſt, non debet neceſſario ſupponere ho-

hominem jam vivificatum, nec remedium hominem jam a morbo ſanatum, nec judicium hominem jam innocentem, & abſolutum; ſed ex ſui inſtitutione, & *ex opere operato* eum vivificat mortuum, ſanat ægrotum, reum abſolvit. Hinc Doctor Angel. in 3. p. q. 80. a. 4. ad 2. aſſignans diſcrimen, quare laborantibus morbo peccati dari quidem poſſit Baptiſmus, & Pœnitentia, non autem Euchariſtia, ait: *Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt quaſi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem Sacramentum*, ſcilicet Euchariſtia, *eſt medicina confortativa, quæ non datur niſi liberatis a peccato*. Lege etiam Ven. Scotum in 4. d. 14. q. 4. §. *Quantum ad tertium*.

Minor autem propoſitio ita probatur. Amor charitatis, licet inchoatus & remiſſus, per ſe valet ſanare, & abſolvere peccatorem; cum mortale peccatum, & charitas, etſi remiſſa, ſimul eſſe non poſſint. Unde Scripturæ charitati abſolute conſideratæ, & non ſoli robuſtæ, perfectæque peccatorum remiſſionem adnexam eſſe pronunciant. Legitur enim Proverb. c. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo*. Et ibidem c. 10. v. 12. *Univerſa delicta operit charitas*. Item 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Denique 1. Joan. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt*.

Ad hoc inſuper confirmandum accedit, quod Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. iſtam Baji propoſitionem n. 31. damnaverint: *Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*. Damnarunt

hanc etiam n. 32. *Charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum*. Et hanc tandem n. 71. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi ſacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione ſacramenti*. Ubi notandum occurrit 1. quod in prima propoſitione ſermo fiat de charitate, quæ eſt in Catechumenis, & peccatoribus pœnitentibus, in quibus regulariter charitas non eſt robuſta, & fortis, ſed inchoata tantummodo, & remiſſa: 2. quod in eadem propoſitione agatur de charitate ſincera, quæ eſt de corde puro, &c. id autem non habituali, ſed actuali tantum competit charitati. In tertia item propoſitione fit mentio contritionis ex charitatis motivo conceptæ: contritionem vero non habitum, ſed actum denotare certiſſimum eſt. Ex quibus evidenter apparet, non ſolum charitatem intenſam, vel habitualem, ſed & remiſſam, actualemque peccatum expellere. Habitualis enim charitas eſt forma juſtificans; actualis vero eſt proxima ad juſtificationem diſpoſitio, & cum ea ſtatim certoque conjungitur. Non ergo attritio ad ſacramentum pœnitentiæ requiſita importare neceſſario debet charitatis amorem.

Poſtremo, Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. duo docet; Chriſtum ſcilicet in Pœnitentiæ Sacramento novum inſtituiſſe remedium ad peccatores juſtificandos, quo illi carebant; & hoc inſtituiſſe ex magna erga illos miſericordia, ſummaque clementia; ut nimirum faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret, uti exponit Catechiſmus Rom. p. 2. c.

5. n.

5. n. 36. Atqui falſum profecto eſſet, quod Chriſtus inſtituiſſet novum remedium, quod antea non fuiſſet, faciliorem viam ad juſtificationem parans, ſi nunc charitatis amor exigitur; quia charitas, etiam ante Evangelicam legem, ſe ſola reconciliabat; neque vere facilius diceretur, quia hoc involveret ipſum remedium vetus, ac inſuper quædam alia difficultatem, & incertitudinem includentia; confeſſionem nempe peccatoribus onerofam, & abſolutionem a Confeſſarii voluntate pendentem. Lege Cardin. Gotti in tract. de Sacr. pœnit. q. 4. dub. 4. & 5. necnon Boucat, Fraſſen, & alios.

At contra noſtram hanc opinionem, quæ communior celebriorque poſt Synodum Tridentinam evaſit, Theologi plures inſurgunt, propugnantes, quod etſi in Sacramento Pœnitentiæ minime requiratur contritio charitate perfecta, quæ hominem Deo reconciliet, priuſquam Sacramentum iſtud actu ſuſcipiatur, ſicuti poſt Magiſtrum non pauci e Schola dixerunt; requiratur tamen attritio non in ſolo gehennæ timore perſiſtens, ſed ad amorem uſque procedens; ad amorem autem non ſpei ſolius, verum etiam charitatis, quem initialem, naſcentem, ac remiſſum appellant. Hi itaque Cl. Viri, quorum præcipuus eſt P. Berti,

Objiciunt 1. Deuteronomii c. 6. v. 5. habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Ex quibus argumentum iſtud informant: Hæc verba præceptum diligendi Deum non obſcure demonſtrant: hoc vero præceptum non videtur magis urgere, quam cum homo reconciliari vult Deo, quem graviter offendit: ergo &c. De-

Deinde, Joelis 2. v. 13. legitur : *Convertimini ad me in toto corde veſtro* . Et Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me , ait Dominus exercituum , & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Ut autem Deus ad nos per gratiam convertatur , converti nos debemus ad ipſum : ad Deum vero converti non poſſumus , niſi per charitatis amorem : ergo &c.

Item, in 1. Joan. c. 13. v. 14. dicitur: *Tranſlati ſumus de morte ad vitam , quoniam diligimus fratres . Qui non diligit , manet in morte* . Et in 1. ad Cor. 13. v. 3. ſcribit Apoſtolus : *Si tradidero corpus meum , ita ut ardeam, charitatem autem non habuero , nihil mihi prodeſt* . Alii denique plures ſunt Scripturæ textus, quibus charitatis neceſſitas haud obſcure monſtratur.

Reſp. ad 1. quod ſi ex teſtimonio illo colligitur charitatis neceſſitas & præceptum , ut quis ad Sacramentum Pœnitentiæ ſe diſponat; colligitur quoque neceſſitas charitatis intenſæ, & ex toto corde , &c. rurſumque neceſſitas charitatis juſtificantis ante Pœnitentiæ Sacramentum ; quod oppoſitæ ſententiæ Defenſores affirmare non audent . Sicut itaque Deus non obligavit eos, qui ipſi per confeſſionem reconciliari volunt , ad intenſam perfectamque charitatem ; ut facilius illis eſſet ad veniam medium in Sacramento , quam extra ; ita non obligavit eos ad expreſſum charitatis actum, ſed tantummodo ad dolorem de peccatis , qui ex pœnarum quidem metu procedit; at viam parat ad recuperandam charitatem per Pœnitentiæ Sacramentum ; uti in prima propoſitione notatum eſt . Ceterum ſi noſſe cupis quando charitatis præceptum urgeat , lege quæ ſcripſimus in lib. 14. c. 13.

Ad

Ad 2. eadem eſto reſponſio. Si enim ex adductis textibus ſequeretur charitatem præmittendam eſſe Sacramento Pœnitentiæ, conſequens quoque foret, intenſam illam perfectamque eſſe debere. Qui ergo vult per ſacramentum a peccatis abſolvi, converti ad Deum debet non per *formalem* amicitiæ & charitatis amorem, ſed per deſiderium hunc ſibi iterum acquirendi. Qua in re bene notat Gotti, triplicem eſſe converſionem ad Deum; unam nempe ex charitate, quæ perfecta converſio eſt, & actuali ſacramento non indiget, ut hominem Deo reconciliet: aliam ex timore, dum ſcilicet homo propter mala quæ timet, ab amore peccati ad Deum, ut omnipotentem, juſtum, vindicemque, convertitur: Et hæc converſio imperfectiſſima eſt; non enim includit adhuc totalem, abſolutamque peccati deteſtationem, ſed tantum in circumſtantia pœnarum, quarum timore concutitur. Alia denique eſt converſio, qua quis ita Deum timet, ut ab ipſo veniam, & reconciliationem ſperet; & ex tali timore, ac ſpe efficaciter moveatur ad deteſtandum peccatum, ac proponendum non peccare de cetero, ſed reconciliari cum Deo, ejuſque ſibi gratiam & amicitiam comparare. Iſthæc vero converſio eſt quidem imperfecta ex motivo, quatenus ex charitatis motivo non oritur; eſt tamen vera ad Deum converſio ex juſtitiæ & miſericordiæ motivo procedens. Et rurſus eſt converſio ad Deum per *virtualem* charitatis amorem, quia licet illum charitatis amore non diligat, deſiderat tamen, & ſe diſponit, ut ad ejus gratiam redeat, & in ipſum charitate feratur; & eſt etiam per *formalem* ſpei ac con-

cu-

cupiſcentiæ, ut ajunt, amorem, quo peccator Deum amat, ut bonum ſibi, nempe, uti fontem omnis juſtitiæ, & gratiæ, quam ab ipſo ſperat. Eſt etiam converſio ad Deum ex toto corde; cum ſit per univerſalem peccatorum deteſtationem, & per propoſitum totam Dei legem implendi.

Ejuſmodi ſane fuiſſe videtur converſio filii prodigi (Lucæ 15.) quam nemo negabit ex toto corde fuiſſe; & tamen ortum illa non habuit ex benevolo erga Patrem amore, ſed ex timore pereundi fame, & ex amore ad ejus gratiam redeundi; quod ipſe verbis iſtis expreſſit v. 17. *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!* Ecce converſio ex timore proveniens. Deinde ſubjungit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum*. Ecce deſiderium ad ejus gratiam revertendi. Vocavit autem illum *Patrem*, quia ei Pater erat per naturam; nondum enim ipſum filiali, & gratuito diligebat amore. Sicuti ſcilicet puer ſpectro perterritus ad matrem confugit, *matrem* illam appellans; quamvis ad eam ex ſolo timore objecti terrifici, & ex amore ſalutis ſuæ confugiat. Iſta itaque converſio eſt, quæ ſufficit, ut Deus in Sacramento peccatorem protinus amplectatur; ſicuti Pater Evangelicus filio occurrens ipſum amplexus eſt, eidemque amiſſam gratiæ ſtolam cito reſtituit.

Ad 3. breviter reſpondemus. S. Joannes, uti perſpicuum eſt, non loquitur de dilectione Dei, ſed de dilectione fratrum, quam qui non habet manet in morte: quia dilectio proximi eſt ſignum, quo nos Deum diligere, & de morte ad vitam translatos eſſe cognoſcimus. Non ergo

go ad rem pertinet argumentum.

Paulus etiam Corinthiis ſcribens inter ſe nimium diſſidentibus, fraternam commendat charitatem: hæc autem non ea eſt, quam Theologi nobis ſupra caput iſtud contrarii ad Pœnitentiam prærequirunt. Quod ſi de poſitiva erga Deum dilectione loquatur, ſolum vult opera etſi bona ſine illa ad ſalutem per modum meriti non prodeſſe; quod quidem eſt verum: nemo enim ſine charitate poteſt opus ſalutis æternæ meritorium perpetrare. Non tamen affirmat Apoſtolus, opus ſine actuali charitate nihil prodeſſe, ut ſe præparet homo ad gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam: non enim quidquid eſt neceſſarium per modum meriti ad ſalutem, neceſſarium eſſe debet etiam per modum diſpoſitionis ad Sacramentum.

Objiciunt 2. Uti ſupra retulimus, Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. inter diſpoſitiones ad Baptiſmum requiſitas non tantum fidem, & ſpem, verum & Dei dilectionem, ſive amorem enumerat, inquiens: *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*. Ex quo ita argumentantur: Diſpoſitio requiſita ad obtinendam juſtitiam in Sacramento Baptiſmi, requiritur etiam in Sacramento Pœnitentiæ: atqui in Sacramento Baptiſmi requiritur Dei dilectio & amor charitatis. Quid enim opus erat a Patribus Tridentinis commemorari, præter ſpem, actum dilectionis ad commonſtrandum amorem concupiſcentiæ a ſpe, cui non additur charitas, indiviſum? Hunc quoque charitatis amorem intellexerunt Auctores Catechiſmi Romani, dum p. 2. c. 5. n. 8. juxta Tridentini doctrinam exponentes gradus, qui-

bus

bus ad pœnitentiæ virtutem aſcenditur, fide, timore, atque ſpe recenſitis, *Poſtremo*, inquiunt, *charitate corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur; atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majeſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omnino deſerimus*.

Reſp. Fatemur utique Concilium præter fidem, & ſpem exigere Dei dilectionem; ſed qualis illa ſit, non aperte ex ejuſdem Concilii verbis eruitur. Immò Patres generalem potius vocem *dilectionis*, non charitatis, vel amoris ſuper omnia, adhibere voluerunt, ne rem dirimerent inter Catholicos Theologos controverſam; quod etiam temperamentum uſurparunt Romani Pontifices, præſertim Alexander VII. & Benedictus XIII. Præterea, quamvis Tridentini Patres ſpem a dilectione diſtinxerint; affirmari tamen pro certo non poteſt, num alteram ab altera diſtinguendam eſſe putaverint vel tanquam rem a re, vel tantum uti effectum a cauſa. Opinamur autem poſteriori hoc modo ſtatuendum inter utramque eſſe diſcrimen; quatenus nempe dilectio illa ſuam a ſpe trahat originem, idemque ſit ac amor quem ſupernaturalis concupiſcentiæ Scholaſtici nuncuparunt. Subdit namque eodem in loco Concilium: *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit*. Indeque nulla veræ proprieque dictæ charitatis mentio additur, ſed fiduciæ ſolummodo, ſive ſpei; Deum vero diligere, ut remuneratorem, & ut eum in quo remitti nobis peccata confidimus, eſt diligere Deum, ut ille bonus eſt nobis. Denique Ca-

techiſmus Romanus enumerat quidem ibi gradus, quibus *ad præſtantiſſimam pœnitentiæ virtutem pervenitur*; non tamen agit de diſpoſitionibus, quæ ad Pœnitentiæ ſacramentum neceſſario requiruntur.

Objiciunt 3. ex eodem Tridentino Concilio ſeſſ. 14. c. 4. contritionem definiente, quod ſit, *Animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*. Atqui ſingulæ hujus definitionis partes charitatis neceſſitatem oſtendunt: ergo &c. Probatur minor 1. Si contritio eſt dolor; ergo Dei charitatem includit: dolor enim ex amore procedit illius rei, de cujus jactura dolemus. Debet inſuper dolor ille eſſe de peccato, quatenus eſt offenſa Dei; uti docet S. Thomas in 3. p. q. 85. a. 3. utque colligitur ex ſeſſ. 14. c. 1. laudatæ Synodi Tridentinæ: ergo ſine Dei charitate eſſe non poteſt. 2. Nemo poteſt veterem vitam deteſtari, quin veterem creaturæ execretur amorem: non poteſt autem veterem creaturæ amorem execrari, quin novo alio Creatoris amore ferveſcat, eique cor ſuum totaliter per charitatem amando devoveat. Odium enim alicujus rei oritur ex amore contrarii; cum ad eandem virtutem ſpectet bonum diligere, oppoſitumque malum odio inſectari. 3. Propoſitum non peccandi de cætero eſſentialiter includit propoſitum totam legem implendi, & conſequenter obſervandi maximum illud primumque mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Atqui haberi non poteſt conſtans & firma voluntas Deum ſuper omnia diligendi, niſi Deus reapſe diligatur. Nam velle efficaciter Deum diligere, eſt ipſum revera

ra & actu diligere : non enim voluntas ad amandum alia indiget facultate, quam ſe ipſa; proindeque ſi vult amare, amat reipſa. Unde Gregorius M. hom. 30. in Evangelia ſcribit : *Qui mente integra Deum deſiderat, profecto jam habet, quem amat.*

Reſp. negando minorem, ad cujus primam probationem aſſerimus, in dolore peccati includi quidem amiſſæ rei amorem: at cum homo per peccatum non ſolum Deum amiſerit, verum etiam divinam gratiam, æternamque ſalutem; non eſt neceſſe, ut dolor ejus ex proprie dicta erga Deum charitate procedat; ſed ſufficit, ut procedat ex amore Dei, uti fons eſt juſtitiæ, gratiæ, & gloriæ; qui ſpei, non charitatis eſt amor. Itemque dolor eſſe debet de peccato, quatenus eſt offenſa Dei, vel ut ille eſt in ſe ſumme bonus, ac perfectus; vel ut eſt nobis bonus, noſtra beatitudo, ultimuſque finis.

Ad 2. idem eſto reſponſum. Nam peccator veterem creaturæ amorem deteſtando, novum elicere debet amorem, qui Dei Creatoris ſit oportet : at neceſſe non eſt ut ſit veræ charitatis actus, ſed vel amor Dei ut fontis juſtitiæ, vel ut ſupremi Legislatoris, & Domini, ſummique Benefactoris.

Ad 3. Qui efficaciter Deum amare proponit, Deum utique reipſa amat, ſi proponat nunc illum amare; non vero ſi licet nunc proponat amare Deum, non tamen eum nunc amare proponat ; alioquin qui modo proponeret Deum amare in mortis articulo, Deum actu formali, &, ut ajunt, exercito nunc amaret. Cum ergo qui nunc proponit ſervare to-

tam legem, & conſequenter etiam præceptum dilectionis Dei, non proponat neceſſario Deum nunc amare; non ſequitur, quod nunc Deum amet, neque quod illud amandi propoſitum eſſe debeat ex motivo charitatis, ſeu Dei, prout in ſe ſummum eſt bonum; ſed oriri poteſt ex motivo obedientiæ Deo, ut ſupremo Legiſlatori, vel juſto Vindici eorum, qui legem infringunt, & Remuneratori eorum, qui eandem legem adimplent. Tale autem debere eſſe propoſitum ejus, qui ad Pœnitentiæ ſacramentum accedit, ex eo probatur, quod illud ex conſideratione Dei juſti ſimul, & miſericordis emanat, uti ex Tridentino monſtratum eſt.

Licet itaque voluntas diſtincta ad amandum facultate non egeat; non tamen quandocunque vult Deum proſequi charitatis amore, reipſa illum tali amore proſequitur; ſed ſolum cum ſincere proponit amare nunc, nunc amabit; quia nunc excitabit proprium amoris divini motivum, quo menti propoſito in actum amoris erumpet. At ad excitandum hoc in ſe motivum non tenetur, qui Pœnitentiæ ſacramento propinquat; & ideo licet ille proponat totam legem ſervare, Deumque diligere, non infertur, quod reipſa Deum diligat; ſed dumtaxat, quod dilectio Dei ſit voluntatis ejus objectum, & finis.

Inſtabis. Concilium Tridentinum laudato in capite docet, *contritionis motum fuiſſe quovis tempore neceſſarium ad impetrandam veniam peccatorum*. Atqui contritio, quæ fuit quovis tempore neceſſaria, fuit contritio perfecta, quæ ex charitate concipitur: hæc itaque neceſſario in Sacramento requiritur. Quare in ejuſdem ſeſ-

ſio-

ſionis cap. 3. ſcribit: *Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio.*

Reſp. manifeſtum ſophiſma in argumento latere, dum dicitur: Quovis tempore ad juſtificationem neceſſaria fuit contritio: ergo neceſſaria fuit contritio charitate perfecta. Ex eadem enim S. Synodo contritio alia perfecta eſt, alia imperfecta. Cum ergo docet contritionem quovis tempore neceſſariam fuiſſe ad juſtificationem, non recte concluditur: neceſſaria igitur eſt perfecta contritio; ſed vel perfecta, vel imperfecta. Nam in veteri quidem lege, in qua juſtificandi virtute ſacramenta carebant, perfecta contritio requirebatur; ſicut & modo, dum quis extra Sacramentnm gratiam juſtificationis aſſequitur: at vero dum per Sacramentum eandem gratiam in nova lege quis obtinet, ſufficit ei imperfecta contritio, quæ etiam attritio dicitur, ut eodem in cap. Synodus Tridentina declarat.

Urgebis. Laudata Synodus eo loci in exemplum attritionis, de qua loquitur, profert attritionem, qua *Ninivitæ ad Jonæ prædicationem pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt.* Atqui Ninivitarum attritio conjunctum habuit charitatis amorem, quo juſtificati fuere. Ut ergo exemplum valeat, dicendum eſt, quod attritio, quam S. Synodus ponit uti diſpoſitionem ad Pœnitentiæ ſacramentum, includere debeat eundem amorem.

Reſp. ex ſola contextus lectione patere, quod Concilium adducat exemplum attritionis Ninivitarum præciſe ad confirmandum id, quod paulo ante docuerat; nempe attritionem ex

gehennæ & pœnarum metu conceptam, donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, qui peccatorem ad impetrandam Dei gratiam in Pœnitentiæ ſacramento diſponit. Sicut itaque in Ninivitis attritio bona fuit, eoſque diſpoſuit ad charitatem, & tandem ad juſtificationem; ita & in nobis eſt bona, & ad Sacramentum, indeque ad juſtificationem diſponit. Non ergo Concilium docet, attritionem debere eſſe charitati conjunctam. Imo ſi nimium exemplum iſtud urgere volueris, concludendum profecto erit, quod ſicut attritio, qua concuſſi Ninivitæ fuerunt, juncta fuit charitati perfectæ, quæ per ſe reconciliationem contulit; ita & attritio ad ſacramentum Pœnitentiæ requiſita jungi debeat charitati, quæ per ſe conferat reconciliationem, quod & Adverſarii negant, falſumque ex Tridentini doctrina monſtratur.

Objectant hic inſuper plura SS. Patrum teſtimonia, qui Dei amorem ex proprio charitatis motivo, tanquam omnino neceſſarium, non raro commendant. Verum illi vel loquuntur de habitu charitatis, ſine quo juſtificari homo non poteſt, vel de actu neceſſario ad obtinendam veniam peccatorum extra ſacramentum, non autem in ipſo ſacramento. Præſertim vero circa Auguſtini mentem advertimus, ipſum aliquando charitatis & dilectionis nomine deſignare gratiam ſupernaturalem, ſine qua nihil boni poſſumus ad ſalutem; non autem intelligere ſolummodo charitatem proprie dictam, quæ eſt theologica virtus, & de qua quæſtio nunc movetur. Oppugnans enim Pelagianos neceſſitatem gratiæ denegantes, oſtendit S. Doctor ſine dilectione, id eſt, ſine gratia, nihil bo-

boni fieri poſſe relare ad vitam æternam. Quum tandem idem S. Doctor affirmat timorem pœnæ ſine amore juſtitiæ, non excludere ipſum peccati affectum, loquitur de timore *ſerviliter*, ut ajunt, *ſervili*, qui peccandi voluntatem nequaquam expellit. Lege quæ ſuperiori in cap. poſt 1. oppoſitionem ex S. Bonaventura notavimus.

Objiciunt 4. Peccator attritus magis pœnam deteſtatur, quam culpam. Magis etiam ſeipſum diligit, quam Deum; cum non niſi ex ſui amore ad peccati odium moveatur. Hinc non ſeipſum propter Deum amat, ſed Deum propter ſeipſum. Poſtremo qui ex pœnæ metu dolet, virtualiter hunc elicit actum: *Si pœna non eſſet, non deteſtarer peccatum, ipſumque minime evitarem*. Sicuti quia Mercator ex ſolo metu merces in mare projicit, hunc intra ſe actum habet: Nollem projicere, ſi naufragium non immineret. Quæ enim ex metu fiunt, involuntaria judicantur; quia a voluntate repugnante procedunt: unde qui ſolo metu aliquid facit, eſt ita diſpoſitus, ut ceſſante metu non faceret. Qui ergo attritus eſt, non eſt ſufficienter diſpoſitus, niſi charitate feratur in Deum.

Reſp. ejuſmodi argumentum Catholico viro indignum eſſe, cum probet, non ſolum attritionem non diſponere ad Sacramentum, verum nec bonam ac laudabilem eſſe, uti Lutherus aſſeruit. Ad 1. itaque dicimus, attritum, de quo loquimur, magis pœnam deteſtari, quam culpam; non quia culpam vellet admittere, ſi pœna non eſſet, aut mallet culpam patrare, quam pœnam aliquam ſubire; ſed quia magis

movetur a pœna, utpote quæ ſibi magis ſenſibilis eſt, majorique ipſum horrore percellit. Et quamvis perfectius ſit moveri ad deteſtandam culpam ex Dei charitate, quam ex pœnæ timore; non tamen imperfectio peccatoris id patitur: nec interim male operatur, ſed bene. Sicuti eſto melius foret moveri ab amore Dei ſummi boni ad obſervanda mandata, quam ex conſideratione retributionis æternæ; bene tamen facit, qui a tali ratione movetur. Lege S. Bonaventuram in 3. d. 34. p. 2. a. 1. q. 1. ad 4. argumentum.

Ad alterum negamus, attritum magis ſeipſum amare, quam Deum. Eſto enim ex amore ſui ad peccati odium excitetur; amor tamen ſui non eſt finis, in quo quieſcit, ſed inefficaciter ſaltem ad Bonum divinum convertitur; ita ut accedente Sacramento iſta converſio fiat efficax, & non reſpiciat amplius bonum proprium, niſi quatenus ad bonum divinum rationabiliter ordinatur. Negamus pariter, attritum amare Deum propter ſeipſum, ſi *τὸ propter* ſignificet finem ultimum, ac principaliter præintentum. Nam licet ex ſui amore excitetur attritus, ad adipiſcendum tamen Dei amorem Sacramento opitulante contendit, talemque ſibi conſtituit finem, ut Deo reconcilietur, & ad ejus gratiam revertatur: & talis eſſe debet attritio, de qua nunc loquimur.

Ad ultimum reponimus, verum non eſſe, quod qui ex metu pœnæ dolet, virtualiter hunc actum eliciat, *Si non eſſet pæna, peccatum minime deteſtarer*: quia conſideratio pœnæ eſt quidem objectum, ex quo ille movetur; ſed non eſt finis, in quo ultimo ſiſtat, ut di-

dictum eſt. Exemplum autem Mercatoris potius in Adverſarios retorquetur. Quidquid enim ſit, an Mercator habeat, vel non habeat illum actum, certum profecto eſt, quod ſi ſciret, ad evitandum naufragium neceſſarium eſſe non ſolum projicere merces, ſed etiam illarum amorem, voluntatemque eaſdem retinendi; utique cum mercibus amorem, & voluntatem illas retinendi projiceret, eaque ſe penitus abdicaret: cum ergo peccator attendat, ad vitandam gehennam neceſſarium eſſe non ſolum abſtinere a peccato, ſed etiam ab omni deliberata voluntate peccandi; utique ſi ad vitandam gehennam a peccato ſe abſtinet, a peccandi voluntate ſe etiam abſtinebit.

Neque inſuper verum eſt, quod qui modo ex ſolo metu movetur ad deteſtanda peccata, ſi non eſſet metus, minime moveretur. Nam eo ceſſante motivo, forte etiam moveretur, & ex honeſtate, vel ex alio motivo doleret. At demus etiam, quod qui modo dolet, & voluntatem peccandi deponit, urgente metu; ſi non urgeret metus, non doleret, nec voluntatem peccandi deponeret: quid inde concluditur? Plures Sancti, ſi in aliis circumſtantiis ponerentur, pravi eſſent; at modo ſunt Sancti. Qui ergo ex gehennæ metu deponit peccandi voluntatem, licet ſi gehenna non eſſet, forte non deponeret; modo malus non eſt, ſi modo omnem affectum ad peccatum abjiciat; malus autem eſſet, niſi illum abjiceret. Eſt quidem adhuc infirmus, quia nondum penitus liber a propenſione peccandi; ſed hæc peccatum non eſt, dum ut eam prorſus extinguat, ad Sacramentum accedit.

De-

Denique etſi dolor de peccato ex ſolo legis pœnarumque timore profectus, non ita voluntarius ſit & liber, uti ille eſt, qui ex juſtitiæ Deique amore deſcendit; ſimpliciter tamen liber ac voluntarius eſt etiam ipſe, cum ex deliberato conſilio, & electione naſcatur, poſſitque homo, ut multi reipſa faciunt, malle peccando præſenti voluptate gaudere, quam non peccando futuras pœnas evadere.

Quæ huc uſque diximus, evidenter oſtendunt, quod qui attritus eſt juxta modum a nobis expoſitum, etſi habitualem peccandi voluntatem non deponat, deponit tamen actualem: habet enim voluntatem actu peccato contrariam, navatque operam, ut habitualem etiam peccandi voluntatem per Sacramenti virtutem prorſus extirpet.

Poſtremo notamus, quod etſi probabilius opinando dixerimus charitatis amorem ad Pœnitentiæ ſacramentum neceſſario non requiri, monendos tamen cum piis doctiſque Viris ducimus Confeſſarios, ut ad ejuſmodi amorem, perfectamque contritionem pœnitentes hortentur, & excitent; uti etiam fieri præcipit Rituale Romanum, juſſu Pauli V. editum, dum Ordinem Sacramentum iſtud miniſtrandi declarat: qua ſuper re legendus eſt etiam Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana lib. 7. c. 13.*

CA-

CAPUT V.

Ubi de Sacramentalis Confeſſionis præcepto, & neceſſitate diſſeritur.

ALtera Sacramenti Pœnitentiæ pars eſt ſacramentalis confeſſio peccatorum, de qua nunc diſputationem ingredimur, quamque Catechiſmus Rom. p. 2. c. 5. n. 38. definit eſſe *peccatorum accuſationem, quæ ad ſacramenti genus pertinet, eo fine ſuſceptam, ut virtute clavium veniam impetremus.*

Hanc autem definitionem idem Catechiſmus exponens, ſtatim adjungit: „ Recte accuſatio „ dicitur, quod peccata ita commemoranda „ non ſunt, quaſi ſcelera noſtra oſtentemus; „ ut ii faciunt, qui lætantur, cum male fecerint; nec omnino ita enarranda, quaſi rem „ aliquam geſtam otioſis auditoribus delectandi „ cauſâ exponamus: verum accuſatorio animo „ ita enumeranda ſunt, ut ea etiam in nobis „ vindicare cupiamus. Veniæ autem impetrandæ cauſa peccata confitemur, quoniam hoc „ judicium longe diſſimile eſt forenſibus capitalium rerum quæſtionibus, in quibus confeſſioni pœna, & ſupplicium, non culpæ liberatio, & errati venia conſtituta eſt.

Inter hæreticos, qui confeſſionem damnarunt, recenſendi primo ſunt obſcuri nominis aliqui circa initium IX. ſeculi aſſerentes, *Deo ſolummodo confiteri debere peccata;* ut conſtat

ſtat ex can. 33. Concilii II. Cabilonenſis, & ex ſententiarum Magiſtro in 4. d. 17. Deinde Wiclefus ſeculo XIV. tametſi Pœnitentiæ Sacramentum non omnino rejecerit, docuit tamen confeſſionem eſſe Eccleſiaſtici ſolummodo inſtituti, addiditque, quod *ſi homo debite fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis*; prout appaæt ex ejus articulo VII. proſcripto cum aliis ſeſſ. VIII. Concilii Conſtantienſis.

Lutherus autem ſibi parum conſtans confeſſionem peccatorum in lib. de captiv. Babylon. ſummopere commendavit; at in Aſſertione noni articuli inter damnatos a Leone X. illam appellavit *cruentiſſimam carnificinam*, & in lib. contra Latomum, aliiſque in locis aſſeruit confeſſionem non eſſe divino jure præſcriptam, neque in ea omnia cordis peccata, etſi mortifera ſint, eſſe aperienda.

Calvinus etiam lib. 3. Inſtitut. c. 4. ex confeſſione ſingularem quidem fructum referri concedit; negat tamen uſum ejus neceſſarium eſſe, ſed liberum arbitratur, neque ullum affirmat adinveniri de confeſſione præceptum ante Innocentium III. & Lateranenſe Concilium: hujus propterea præcepti intimationem eſſe *rem peſtilentem, multiſque nominibus Eccleſiæ noxiam*.

Propoſitio I. Sacramentalis confeſſio omnium lethalium peccatorum a Chriſto Domino inſtitutionem accepit, divinoque jure præcepta eſt.

Probatur. Chriſtus Joan. 20. v. 23. Apoſtolis eorumque Succeſſoribus poteſtatem contulit remittendi & retinendi peccata, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta*

ſunt.

ſunt. Hanc etiam poteſtatem jam ante Chriſtus ipſe promiſerat, inquiens Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Atqui hujuſmodi poteſtas inſtitutionem oſtendit divinumque præceptum confeſſionis peccatorum faciendæ ab illis omnibus, qui eorundem peccatorum veniam obtinere deſiderant: ergo &c. Major propoſitio patet ex dictis in 1. hujus libri cap. Minor autem ita facile demonſtratur: Sacerdos in foro Pœnitentiæ conſtitutus a Chriſto eſt judex ad ſolvendum & ligandum, ad remittendum retinendumque peccata: ergo eidem incumbit, ut non præcipiti & imprudenti, ſed juſto rectiſſimoque judicio juxta exigentiam cauſarum utatur tradita ſibi poteſtate; alioquin quod ipſe fecerit, ratum a Chriſto nequaquam habebitur: Atqui id Sacerdos præſtare non poteſt, niſi peccata ac peccantis cauſam de qua judicandum eſt, bene cognita habeat & perſpecta; hæc vero cognitio haberi ante non poteſt quam peccator ipſe ſpontanea confeſſione vulnera ſua ſigillatim ita detegat Sacerdoti, ut iſte quatenus peccata ſolvenda vel liganda ſint, explicate queat agnoſcere; cum in humanis quoque judiciis id contingat. Eſt igitur ſacramentalis peccatorum confeſſio divino jure inſtituta, ac præcepta; eo ipſo videlicet, quo inſtitutum, præceptumque eſt Pœnitentiæ Sacramentum.

Validiſſimum argumentum iſtud ſuppeditavit nobis ſacroſancta Synodus Tridentina ita ſcribens in ſeſſ. 14. c. 5. *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia*

ſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere. Quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderint; qui pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Conſtat enim Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.

Majorum quoque traditione Catholicum hoc dogma fulcitur. Tertullianus in lib. de pœnit. c. 4. peccatorum omnium, quamvis cogitatione ſola perpetrata ſint, confeſſionem idcirco ſuadet, quod ſingulis judicio Sacerdotis taxanda ſit pœna; inquit enim: *Omnibus delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit*. Et cap. 10. eos redarguit, qui confiteri erubeſcunt, *pudoris magis memores, quam ſalutis; & velut illi faciunt, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt*. Ubi ſane occultiora & ſecretiora peccata, etiam cordis, non obſcure ſignantur.

Cyprianus in lib. de Lapſis eorum temeritatem graviter reprehendit, qui poſt negatam fidem, ante expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcien-

tiam

tiam ſacrificio & manu Sacerdotis acceſſerant ad altare. Et poſt multa de occultis etiam faciendam confeſſionem docet his verbis: *Quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, &c.* Denique ita Fideles hortatur: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti ejus confeſſio poteſt, dum ſatisfactio cujuſque & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.*

Ambroſius lib. 2. de Pœnit. c. 6. ait: *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.* Itemque in lib. 1. c. 16. de occultorum peccatorum confeſſione ſpeciatim hæc habet: *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe pœnitentiam egerit, quomodo iſta recipit, ſi ei communio non refunditur?*

Auguſtinus ſermone 393. exſcribit relata Ambroſii verba ex lib. 2. de pœnit. c. 8. itemque concione 2. in Pſal. 101. ait: *Cum audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit: cum audis hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulcro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis, inquit, in terra, erunt ſoluta & in cælo.*

Poſtremo Chryſoſtomus in Orat. de Samaritana prope finem inquit: *Imitemur & nos hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubeſcamus. Qui enim homini detegere*

pec-

peccata erubeſcit , Deo vero cernente facere non erubeſcit, neque confiteri vult , & pœnitentiam agere, in die illa non coram uno, vel duobus ; ſed univerſo terrarum orbe ſpectante traducetur . Brevitatis vero cauſa a laudandis aliorum Patrum textibus abſtinemus; legere tamen Candidati poterunt Eſtium, Tournely, Berti, ceteroſque Theologos.

Propoſitio 2. Sacramentalis confeſſio eſt neceſſaria neceſſitate *medii* iis omnibus , qui poſt Baptiſmum mortali culpa turpantur.

Probatur . Qui poſt Baptiſmum lethaliter deliquerunt , nequeunt ſine ſacramentali confeſſione obtinere ſalutem : ſacramentalis ergo confeſſio neceſſaria eſt &c. Antecedens ex dictis apparet : cum enim Chriſtus Sacerdotibus poteſtatem ligandi ſolvendique peccata contulerit ; quæ ſane poteſtas abſque ſacramentali confeſſione exerceri non poteſt ; cumque ſalvari peccator nequeat , niſi a peccatis ſolvatur ; dicendum eſt equidem, ſacramentalem confeſſionem lapſis poſt Baptiſmum neceſſariam eſſe neceſſitate medii , ut ſalutem obtineant . Unde S. Auguſtinus ſerm. 392. ſcribit : *Nemo ſibi dicat , occulte ago , apud Deum ago* (pœnitentiam); *novit Deus , qui mihi ignoſcat , quia in corde meo ago . Ergo ſine cauſa dictum eſt , Quæ ſolveritis in terra , ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei ? Fruſtramus Evangelium , fruſtramus verba Chriſti ? Promittimus vobis , quod ille negat ?*

Conſentiunt Patres alii ad unum omnes , ii præſertim quos ſupra laudavimus , quibuſque Leonem M. adjungimus in epiſt. 82. alias 91. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum ita ſcri-

ſcribentem : *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Merito itaque Synodus Tridentina in ſeſſ. 14. can. 6. taliter definivit : *Si quis negaverit, confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino ; aut dixerit, modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit*. Huc denique referenda ſunt ejuſdem Concilii verba cap. 2. *Eſt autem hoc ſacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.*

Objiciunt autem 1. Nonnulli Patres ea verba apud Joannem, *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis, &c.* interpretantur de remiſſione, quæ in Baptiſmo confertur ; neque tamen inde colligitur, ſacramentalem confeſſionem præmittendam eſſe Baptiſmo: ergo neque conſequitur præmittendam eandem eſſe Pœnitentiæ, quamvis de hoc etiam Sacramento eadem verba intelligantur.

Reſp. Baptiſmum inter & Pœnitentiam maximum patere diſcrimen. In Baptiſmo enim homo regeneratur Chriſto, renaſcitur, adoptatur Eccleſiæ; ideoque nudum ſacramenti miniſterium exercent ii, qui baptizant. At in Pœnitentia Sacerdotes abſolvunt, cauſas peccatorum dijudicant, opera ſatisfactionis imponunt; neque nudum exercent miniſterium, ſed cum miniſterio judicium, & cum judicio ægrotantium animorum ſanationem; quæ duo fieri apte non poſſunt, niſi occulta aperiantur crimina, & putrida vulnera detegantur.

Præterea, licet quidam Patres Joannis textum exponant de remiſſione quæ per Baptiſmum habetur; nullus tamen eorum eſt, qui expoſitionem aliam, & quidem magis propriam, rejiciat, nullus qui auctoritatem Eccleſiæ in dimittendis peccatis eodem Joannis teſtimonio non confirmet. Diximus autem adductam ſuperius Tridentini expoſitionem magis propriam eſſe: nam nulla ibi de conferendo Baptiſmo fit mentio; ac præterea facultas conferendi Baptiſmum etiamſi dici poſſit facultas remittendi peccata, vocari tamen non poteſt facultas eadem retinendi: proprie enim peccata retineri dicuntur, dum abſolutio denegatur; quod in Pœnitentia ſane, non in Baptiſmo contingit.

Demum advertimus, Synodum Tridentinam nequaquam proſcripſiſſe eos, qui aliquam aliam ſententiam recenſitis verbis adſcriberent; ſed damnavit illos, qui eadem verba contra inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ detorquerent, uti a Novatoribus factum eſt. Inquit enim citata ſeſſ. 14. can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum,*

quo-

quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem hujus ſacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema ſit.

At reponunt. Ex quo Sacerdotes a Chriſto conſtituti ſint judices verbis illis, *Quorum remiſeritis, &c.* non conſequitur neceſſariam eſſe confeſſionem, ſed tantum poſſe Sacerdotes iis abſolutionem impendere, qui ultro ac ſponte ſeipſos talibus judicibus ſubjicere velint: ceterum poterunt peccatores ad Deum immediate confugere, ab eoque criminum ſuorum veniam impetrare. Sicuti eſto dicantur Sacerdotes conſtituti a Chriſto judices venialium peccatorum; non tamen neceſſaria, ſed prorſus libera eorum confeſſio eſt.

Reſp. quod ſi Sacerdotes ſint judices a Chriſto Domino conſtituti, non ſolum abſolvere poſſunt pœnitentes ipſorum judicio ſponte ſubjectos; verum etiam oportet, ut ſi velint pœnitentes abſolvi, ſeſe tali judicio ſubdant; propterea quod cauſa hominis cum Deo eadem ratione ac methodo tractanda & finienda eſt, quam ipſe præſcripſit. Quemadmodum enim in veteri lege, quando pro diverſis criminibus varia præcepta erant ſacrificia, fruſtra aliquis præſumpſiſſet purgationem atque munditiam obtinere, non mactatis hoſtiis, nec peractis oblationibus a Deo ſtatutis; ita cum in lege gratiæ Chriſtus inſtituerit ſaluberrimum hoc remedium, ſcilicet, ut peccator adeat Sacerdotem, ab eo-

que ſolvatur ; perperam impius reconciliationem ſperaret, idem remedium negligendo. Etſi autem poſſit Deus peccata abſque ſacramenti adminiculo relaxare, & relaxet aliquando contritis corde, priuſquam ſacramentum reipſa ſuſcipiant; nemo tamen contemnere debet ordinarium reconciliationis modum : ſicut in temporali politia terminari debent cauſæ fori, judiciſque diſcuſſione ; quamvis Rex, & ſupremus Reipublicæ Moderator valeat ratione alia condonare patratum ſcelus, & lites, cauſaſque componere.

Manifeſtum denique diſcrimen apparet, cur peccata mortalia ad tribunal Eccleſiæ neceſſario ſint deferenda, venialia vero non item. Ea namque peccata ſubjicienda ſunt Eccleſiæ, quæ Regnum Cœlorum claudunt, ut Eccleſiæ clavibus reſeretur. Id autem ſola mortalia faciunt, de quibus ait Apoſtolus ad Galatas 5. v. 21. *Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Venialia autem, cum charitatem haudquaquam extinguant, ſed dumtaxat fervorem ejus imminuant, non arcent peccatorem a regni cœleſtis ingreſſu, quamvis nonnihil ab ejuſdem conſecutione retardent; & ideo non ſunt Eccleſiæ clavibus neceſſario ſubjicienda.

Objiciunt 2. Ex Hiſtoria Eccleſ. Socratis lib. 5. c. 19. Sozomeni lib. 7. c. 16. & Nicephori lib. 12. c. 28. conſtat Nectarium CP. Epiſcopum propter grave ſcandalum ſubortum occaſione cujuſdam nobilis mulieris, quæ cum Diacono ſtuprum fecerat, ſuſtuliſſe Presbyterum Pœnitentiarium, excipiendis Fidelium confeſſionibus deſtinatum. Atqui nunquam id Nectarius attentare auſus fuiſſet, ſi ſacramentalis confeſ-

feſſio habuiſſet præceptum divinum, inviolabile, & Majorum traditione ſuffultum: ergo, &c.

Reſp. quod cum Novatiani objicerent, lapſos omnes in Eccleſia indiſcriminatim recipi, ſtudioſius data eſt opera, ne lapſi pœnitentiæ onere levarentur; ac ſpecialiter conſtitutus eſt Presbyter Pœnitentiarius, ut publicæ pœnitentiæ juxta canones perſolvendæ præeſſet, ac nemo ad myſteria accederet, priuſquam injunctas pœnas expendiſſet. Hujus ergo Presbyteri munus in CP. Eccleſia Nectarius abrogavit ob cauſam in argumento citatam, ne pœnitentibus in ſacra æde viris feminiſque commorantibus, conſimile facinus aliquod patraretur: non tamen abſtulit ſecretam confeſſionem, ad quam excipiendam plures in Eccleſiis extitiſſe Presbyteros liquet ex Origene hom. 2. in Pſal. 3. ubi pœnitentes monet, ut circumſpiciant, cui Presbyterorum debeant ſuum confiteri peccatum: ſcribit etiam Cyprianus in lib. de lapſis exomologeſim fieri *apud Sacerdotes*: legitur inſuper apud Euſebium lib. 6. c. 44. Serapionem quendam in perſecutione lapſum, morbo correptum exclamaſſe: *Properate, quæſo, & me quantocius abſolvite: Accerſe mihi unum ex Presbyteris*. Hos quoque Presbyteros ante Novatianam hæreſim, & in ipſo Eccleſiæ exordio inſtitutos fuiſſe colligitur ex teſtimonio Sozomeni, & Nicephori citatis in locis: eoſdem denique perſeveraſſe, etiam in CP. Eccleſia, ſublato Pœnitentiario, conſtat ex Chryſoſtomo Nectarii ſucceſſore, qui hom. 33. in Matth. ſcribit, omni cura ante communionem a Fidelibus recipiendam eſſe reconciliationem & pacem, *atque hujus rei cauſa in Eccleſia ſedere Presbyterum*.

 At

At inquies. Affirmat Socrates, Nectarium liberam dediſſe poteſtatem, ut pro ſua quiſque conſcientia ad ſacramentorum communionem accederet: Ergo Nectarius publicæ ſimul & occultæ confeſſionis uſum amovit.

Reſp. quod cum pœnitentes, quibus Pœnitentiarius ille præfectus erat, ad Euchariſtiæ participationem non admitterentur, niſi ex ejus conſenſu ac juſſu; poſtquam tale munus ſuſtulit Nectarius, potuit recte dici, unumquemque pœnitentem pro ſua conſcientia ad ſacram menſam accedere; etiamſi ſemper illi ſubjicere ſe deberent Eccleſiæ clavibus, & peccata ſua Sacerdotibus aperire.

Objicies 3. Chryſoſtomus non uno in loco uſum confeſſionis cujuſcumque coram homine factæ prorſus explodit. Ita enim ſcribit S. Doctor hom. 5. de Incomprehenſibili contra Anomæos: *Non te in theatrum conſervorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo: conſcientiam tuam expande coram Deo, oſtende ipſi vulnera, & ab eo medicamenta poſtula.* Item in Catecheſi 2. ad Illuminandos ait: *Nec hoc tantum eſt admirabile, quod nobis peccata dimittat, verum quod & ipſa non revelet, non manifeſta faciat, nec accedentes cogat in medio patrata edicere, ſed ſibi ſoli rationem reddere jubeat, & ſibi confiteri.* Denique in Concione 4. de Lazaro inquit: *Cur igitur te quæſo pudet, & erubeſcis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? num conſervo confiteris, ut in publicum proferat?.. Mihi ſoli* (verba ſunt Dei peccatorem alloquentis) *mihi ſoli dic peccatum privatim, ut ſanem ulcus, teque dolore liberem.* His conſimilia alibi non

raro pronunciat.

Reſp. eo in ſenſu dixiſſe Chryſoſtomum, quod ſoli Deo, non homini ſint aperienda peccata, quatenus publice & coram populi multitudine declaranda non ſunt, tanquam *in theatro;* unde poſſit ingens pudor, & maxima verecundia provenire. Reſpicit enim S. Doctor ad recens Nectarii factum, quo non ſecreta, ſed publica fuit ſublata confeſſio: dumque ait, confitendum non eſſe *conſervo*, addit ulterius, *ut in publicum proferat;* per quod evidenter exprimitur, *conſervi* nomine non deſignari a Chryſoſtomo Sacerdotem ſecreto peccata excipientem, ſed contumelioſos laicos, plebemque adverſus manifeſta ſcelera obmurmurantem; uti paulo ante contigerat ſedente Nectario. Nam cum nobilis illa matrona, *a Diacono ſe ſtupratam eſſe prodidit, hoc cognito plebs omnis vehementer ſuccenſuit, eo quod contumelia illata eſſet Eccleſiæ; nec mediocri probro expoſiti erant ſacri ordinis viri;* ut refert Sozomenus ſupra citatus.

Denique juxta Chryſoſtomum, alioſque Græcorum ſacramentalis confeſſio ſoli Deo fieri dicitur, quia Sacerdos non ſuo, ſed Chriſti, cujus miniſter eſt, nomine eam excipit, veniamque peccatorum impertit; & quia quod ad ſecretum & taciturnitatem pertinet, perinde eſt ac ſi ſoli Deo intra conſcientiæ arcana perageretur. Hinc apud Græcos Sacerdos ſacramentalem confeſſionem excipiens, ita pœnitentem alloquitur: *Frater, cur acceſſiſti ad Deum, & ad me? Ne, quæſo, erubeſcas; non enim mihi peccata enuntias, ſed Deo, apud quem conſiſtis.* Vide Arcudium lib. 4. Concordiæ pag. 350. & Goarium in Oratione ſuper Pœnitentes pag. 679.

679. Euchologii. Lege etiam S. Bonaventuram in 4. d. 17. p. 2. dub. 3.

Objiciunt 4. In veteri lege non erat neceſſaria confeſſio peccatorum: ergo neque illa in nova lege requiritur; alioquin Chriſtiani, qui ſub gratia liberi ſunt, deterioris eſſent conditionis, quam Judæi qui ſub lege ſervi fuerunt.

Deinde, ſi abſque confeſſionis ope impius ſalvari non poſſet, Deus omnia nobis ad ſalutem media ſuppeditans, non Sacerdotibus tantum, ſed hominibus ſingulis abſolvendi poteſtatem, ſaltem imminente vitæ periculo, largitus eſſet; quemadmodum omnibus indulſit, ut neceſſitate urgente baptizent.

Reſp. ad 1. per confeſſionem peccatorum non redditur oneroſior lex Chriſti, ſed levior; cum ſine tanto ſacrificiorum apparatu, ut olim in veteri lege fiebat, per ſolam peccati confeſſionem, interioremque pœnitentiam, adjuncta mitiſſima ſatisfactione, remiſſio, & quidem ſecurior, impetretur. Lege quæ diximus cap. 1. ad 1. objectionem, & quæ de multiplici confeſſionis utilitate præclare recenſet Seraph. Doctor in 4. d. 17. p. 2. a. 1. q. 1. in fine.

Ad 2. Baptiſmi neceſſitas ad omnes prorſus extenditur, cum neceſſe ſit omnes regenerari; peccatorum vero confeſſio neceſſaria tantum eſt lapſis poſt Baptiſmum. His præterea merito difficilior ad reconciliationem aditus eſſe debet, quam ſit regenerandis Baptiſmo; cum poſteaquam ſeſe Chriſtianæ vitæ præceptis obſtrinxerant, graviter peccare non formidarunt. Cavendum denique erat, ne ſtudium reconciliationis torperet ob nimiam miniſtrorum copiam, quemadmodum ob eorundem facilitatem

non

non raro contingit.

Alia demum plurima levioris momenti argumenta quæ conficiunt Heterodoxi , brevitatis cauſa præterimus , cum vel obviam facillimamque habeant ſolutionem, vel ex dictis diluta jam maneant: proindeque cum Tridentino Concilio ſeſſ. 14. cap. 5. vere meritoque concludimus, quod *cum a ſanctiſſimis , & antiquiſſimis Patribus magno , unanimique conſenſu ſecreta confeſſio ſacramentalis, qua ab initio Eccleſia Sancta uſa eſt , & modo etiam utitur , fuerit ſemper commendata ; manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe docere non verentur . Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſtifideles confiterentur , quod jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat ; ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno , ab omnibus, & ſingulis , cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.*

CAPUT VI.

De Confeſſionis Integritate.

VEteres recentioreſque Theologi paſſim ſexdecim confeſſionis conditiones enumerant, quæ ſequentibus verſibus apud S. Thomam in ſuppl. q. 9. a. 4. & apud S. Bonaventuram in 4. d. 21. p. 2. dub. 3. ita inveniuntur expreſſæ:

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Sufficientem harum conditionum numerum eſſe perſpicue breviterque ita demonſtrat Seraph. Doctor eodem in loco, inquiens: „ Quædam ſunt conditiones, quæ ſunt, & debent eſſe in confeſſione ſecundum ſui rectam quantitatem: quædam ſecundum rectum ordinem, & ſocietatem: quædam ſecundum rectam qualitatem. Si ſecundum rectam quantitatem, hoc tripliciter: Aut quantum ad integritatem, aut quantum ad numeroſitatem, aut quantum ad diuturnitatem: & ſic ſunt tres conditiones, ſcilicet, quod ſit *integra*, *frequens*, & *accelerata*. Si quantum ad aſſociationem, ſic debet habere duarum ſocietatem partium, ſcilicet contritionis, & ſatiſfactionis: Quantum ad contritionem, ſit *lacrymabilis*; quantum ad ſatisfactionem, ſit pa-

„ *parere parata* : vel quantum ad utrumque ; &
„ ſic *fortis* . Quantum ad qualitatem , aut ipſius
„ confitentis , aut confeſſionis . Si confitentis ,
„ ſic ſunt quinque conditiones : ſecundum vim
„ rationalem eſt *ſimplex* , ſecundum concupiſci-
„ bilem debet eſſe *libens* , ſecundum iraſcibilem
„ *humilis* , in ſermone *fidelis* , & in ſigno *ve-*
„ *recunda* : & ſic ſunt quinque . Si in ſe con-
„ ſideretur , ſic debet eſſe *pura* , ut nihil inter-
„ miſceat ; debet eſſe *nuda* , ut nihil celatum
„ teneat : quantum ad circumſtantias debet eſſe
„ *diſcreta* , ut nihil addat : debet eſſe *ſecreta* ,
„ ut aliis non noceat : debet eſſe *accuſatoria* ,
„ ut ſeipſum puniat .

Inter recenſitas autem conditiones ſunt duæ potiſſimum , quæ uberiorem a nobis expoſitionem expoſtulant ; nempe confeſſionis integritas, ejuſque ſecretum . Primum itaque hoc in capite de integritate confeſſionis agentes , dicimus illam a Scholæ Theologis in formalem , materialemque diſtingui . Materialis integritas eſt adæquata accuſatio omnium ac ſingulorum mortalium peccatorum , quoad ſpeciem , & numerum , & circumſtantias ſpeciem mutantes . Integritas vero formalis eſt accuſatio eorum tantummodo peccatorum , quæ pœnitens in circumſtantiis , in quibus verſatur , confiteri tenetur ; ita videlicet , ut licet peccatum aliquod prætermittat , non quidem ex culpa , ſed ex legitima cauſa , adhuc confeſſio eſſentialem retineat integritatem .

Prior integritas non ſemper neceſſaria eſt , cum juxta Tridentini Concilii doctrinam ſeſſ. 14. c. 5. nil aliud requirat Eccleſia , *quam ut poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit , &*

con-

conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione excluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine.

Imo quandoque contingit non teneri pœnitentem ad confitendum omnia, & ſingula peccata, quorum recordatur; ut puta ſi ille gravi morbo laboret, nec ſine maximo incommodo poſſit omnia ſigillatim peccata percurrere: ſi ex quorumdam peccatorum declaratione grave aliquod malum immineat, nec facultas ſit Sacerdotem alium adeundi: ſi peregrinus in ea regione moretur, ubi a Sacerdotibus non poſſit intelligi: ſi proximi naufragii periculum adſit: ſi milites ad prælium ſe accingant, &c.

At formalis integritas ad valorem confeſſionis neceſſario ſemper exigitur; ſubindeque tenetur pœnitens declarare in confeſſione omnia, & ſingula peccata, & quantum ad ſpeciem, & quantum ad numerum, & quantum ad circumſtantias ſpeciem mutantes, niſi oblivio, vel ignorantia, vel graviſſima aliqua cauſa illum excuſet. Ut enim docet Synodus Tridentina ſeſſ. 14. c. 5. *Cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ Dei filios, & Dei inimicos reddant; neceſſe eſt, omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confeſſione a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſtifideles confiteri ſtudent, proculdubio omnia divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt; qui vero ſecus faciunt, & ſcienter*

ali-

aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

De circumſtantiis vero mutantibus ſpeciem, eadem S. Synodus hæc e veſtigio ſubdit: *Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant; quod ſine illis peccata ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Tandem ejuſdem ſeſſionis can. 7. anathemate ferit hæreticos oppoſitum ſentientes.

Hæc autem Synodi Tridentinæ doctrina in eo fundatur, quod, uti Chriſtus inſtituit, Sacerdotes in confeſſione peccata dimittant per modum judicii; nempe per rei accuſationem, judiciſque ſententiam: at ſententia judicis, ut juſta ſit, ſupponere debet integram cognitionem cauſæ, integramque reatus accuſationem; cum non plene cognita cauſa, nec firmum poſſit proferri judicium, nec poſſit æquitas in pœnarum inflictione ſervari.

Hic pro majori claritate notamus, quod illæ circumſtantiæ ſpeciem peccati mutant, ſive novam peccati ſpeciem addunt, quæ diſtinctis ſpecie virtutibus adverſantur. Ita injuſta percuſſio Clerici, propter circumſtantiam perſonæ Deo dicatæ, non ſolum contra juſtitiam pugnat, verum etiam contra religionem; ſicut & furtum in Templo factum, ob circumſtantiam loci ſacri, non juſtitiam tantum lædit, ſed & religionem offendit. Hinc ejuſmodi circum-

cumſtantiæ cum diverſum peccatum efficiant, in confeſſione ſunt neceſſario declarandæ; uti cum Tridentino Concilio Orthodoxi Theologi omnes affirmant.

Aliæ vero circumſtantiæ etſi ſpeciem peccati non mutent, ipſum tamen peccatum intra eandem ſpeciem plurimum augent, aggravantque. Ita furtum mille aureorum, & furtum unius aurei, quamvis eandem juſtitiæ virtutem lædant, & intra eandem peccati ſpeciem contineantur, illud tamen eſt iſto notabiliter gravius. Unde hujuſce generis circumſtantiæ dicuntur in eadem ſpecie aggravantes.

Certant inter ſe Scholæ Theologi, num poſteriores hæ circumſtantiæ neceſſario ſint aperiendæ. Nos partem ſequimur affirmantem, quæ tutior eſt, multumque probabilis, ac ſequentibus rationibus illuſtratur: Primo: etſi Tridentina Synodus de ſcholaſtica quæſtione ſententiam proferre noluerit, dum tamen affirmat, idcirco in confeſſione explicandas eſſe circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, *quod ſine illis peccata ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere*; dum, inquam, Synodus id affirmat, non obſcure ſignificat aperiendas etiam eſſe circumſtantias in eadem ſpecie notabiliter aggravantes. Nam furtum mille aureorum longe gravius eſt, quam furtum unius aurei; quomodo ergo Confeſſarius judicare poterit de furti gravitate, ſi neſciat, an pœnitens mille aureos, an unum dumtaxat aureum ſit furatus? & quomodo Sacerdos condignam pote-

terit pœnam infligere pœnitenti?

Contingit inſuper aliquando, ut circumſtantiæ intra eandem ſpeciem aggravantes magis augeant peccati malitiam, quam ſi peccatum illud ad aliam quoque ſpeciem pertineret. Furari enim nummum in loco ſacro, non eſt ſimplex furtum, ſed & ſacrilegium; gravius tamen ille peccat, qui mille nummos alio in loco furatur.

Præterea, conſuetudo peccandi non mutat ſpeciem, ſed in eadem ſpecie valde aggravat; hanc vero pœnitens Confeſſario occultare non poteſt, cum Innocentius XI. propoſitionem iſtam n. 98. proſcripſerit: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri alicujus peccati conſuetudinem.*

Tandem, inceſtus, ſive cum matre, ſive cum ſorore, ſive cum alia conſanguinitate conjuncta, ejuſdem ſpeciei eſt, uti probat Angelicus Doctor in 2. 2. q. 154. a. 9. Et tamen ſi cum matre, vel filia committatur inceſtus, crimen gravius perpetratur in confeſſione neceſſario exprimendum, uti communis Theologorum ſententia tradit.

Concludamus itaque cum Catechiſmo Rom. p. 2. c. 5. n. 47. *Neque vero ſolum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & pravitatem valde augent, vel minuunt.*

Quærunt hic inſuper Theologi, num ad confeſſionis integritatem neceſſaria ſit venialium peccatorum accuſatio; ac communiter reponunt, neceſſario non requiri. Ut enim docet Synodus Tridentina ſeſſ. 14. c. 5. *venialia quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequen-*

tius

tius labimur, quanquam recte & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis modis expiari poſſunt.

Ut autem id manifeſtius exponamus, S. Bonaventuræ doctrinam afferimus ex 4. d. 17. p. 3. a. 2. q. 1. ubi hac de re ita ſcribit: „ Confeſſio venialium non eſt in præcepto, eſt tamen „ in conſilio. In præcepto non eſt, quia cum „ ſint de ſui natura venialia, per ſe poſſunt „ veniam conſequi ſive per pœnitentiam in„ ternam, ſive per exteriorem aſſumptam, ſi„ ve etiam per pœnam purgatoriam, ſive per „ aliud remedium competens, & idoneum. „ Quamvis autem de ratione ſui generis non „ ſit ea confiteri neceſſarium, tamen ea confi„ teri congruum eſt, maxime viris perfectis; „ quia utile eſt multum, & pœna illis debita „ minuitur ex vi clavium: hoc eſt igitur de „ venialibus generaliter dictum.

„ In caſu tamen contingit, quod homo te„ neatur ea confiteri, ſive propter dubium, ſi„ ve propter Eccleſiaſticum ſtatutum. Pro„ pter dubium, quia dubitat probabiliter, utrum „ ſit mortale, vel veniale. Ideo ſi non pœni„ tet ſicut de mortali, diſcrimini ſe exponit; „ & ideo debet confiteri, ſicut jacet in con„ ſcientia; & judicio Sacerdotis relinquat, „ utrum ſit veniale, vel mortale. Propter Ec„ cleſiaſticum ſtatutum tenetur; quia omnis Fi„ delis ſemel in anno tenetur confiteri: & ideo „ ſi non habet niſi venialia, ſaltem illa ſemel „ in anno tenetur confiteri: ſed hoc non pro„ pter venialis peccati morbum, ſed propter „ præceptum.

Ex

Ex his autem infertur 1. Seraph. Doctoris ſententiam eſſe, quod etiam qui venialium dumtaxat peccatorum reus eſt, ad annuam confeſſionem ex præcepto Eccleſiaſtico teneatur; Ita ſenſit etiam Doctor Angel. ſcribens in ſuppl. q. 6. a. 3. ad 3. *quod ex vi ſacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, quando non habet alia quæ confiteatur*. Neque enim deeſt Eccleſiæ poteſtas præcipiendi venialium confeſſionem, ſicut non deeſt ei facultas a venialibus abſolvendi. Tum quoque præcipit Eccleſia Euchariſtiam ſumendam eo tempore, quo non obligat jus divinum; indicit inſuper aliquando jejunia, feſtorumque obſervationem, atque alia bene multa, quæ utilia cenſet, quanquam illa divino non ſint jûre præſcripta. Hanc opinionem ex recentioribus multi defendunt, quos inter recenſendus præcipue eſt Cl. P. Berti lib. 34. p. 2. c. 3. etſi plures etiam alii arbitrentur oppoſitum, e quorum numero ſunt Eſtius, & Tournely. Hac autem de re inferius etiam differemus, dum de Eccleſiaſtico confeſſionis præcepto loquemur.

Infertur quoque 2. accuſanda eſſe peccata dubia, ſive ea de quibus prudenti ac rationabili cauſa dubitatur, num patrata ſint, vel an ſint mortalia, vel an illa confeſſi fuerimus. Id contra Caramuelem communiter Theologi afferunt, quibus adſtipulatur etiam Doctor Angel. in ſuppl. q. 6. a. 4. ad 3. ſcribens, *quod quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente; quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter, diſcrimini ſe committens. Et ſi-*

militer periculo ſe committit, qui de hoc quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri: non tamen debet aſſerere illud mortale eſſe, ſed dubitative loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus eſt diſcernere inter lepram, & lepram.

Spectat præterea ad caput iſtud inquirere, num liceat ſocium, ſive complicem ſceleris in confeſſione detegere? Hac de re agens S. Bonaventura in 4 d. 21. p. 2. a. 1. q. 3. ait, „ quod „ aliena peccata aut ſunt impertinentia ad pec„ cati noſtri accuſationem; ſed ex quadam aſ„ ſociatione refert ea, & ad quandam excuſa„ tionem ille qui confitetur, quia ſolatium eſt „ miſeris ſocios habere pœnarum: & ſic di„ cendum, quod male facit, qui ſic confite„ tur: ſicut multi ſimplices aliquando accuſant „ omnes vicinos ſuos, ut ipſi minus confundan„ tur, ut ſi dicant: Sumus latrones, uſurarii, „ perjuri, & conſimilia: & tales a Confeſſori„ bus corripiendi ſunt, quia rectam formam „ confeſſionis non ſervant.

„ Aut peccata aliena ſunt noſtris conjuncta, „ & admixta, ita quod ſine illis non poteſt „ bene culpa propria explicari: & tunc licitum „ eſt confiteri eatenus, quatenus non poteſt „ ſine alieno peccato culpa propria explicari. „ Unde ſufficit aliquando in generali; ut ſi „ mulier cognita eſt ab Epiſcopo (quod abſit) „ ſufficit dicere, quod aliquis magnus Præla„ tus eam cognovit. Si a perſona Religioſa, „ ſufficit, quod in generalitate ſua ſtet; quia „ ſatis apparet genus culpæ. Si vero deſcendat „ ad perſonam ſingularem, increpanda eſt per„ ſona confitens.

„ Si vero peccatum non poteſt explicari ſine

„ ex-

„ explicatione perſonæ determinatæ; utpote, ſi
„ mulier inordinate a viro cognita eſt; tunc
„ ſi dicat de marito, non peccat, pro eo quod
„ non poteſt aliter confiteri propriam culpam:
„ & tunc non debet attendi accuſatio aliena,
„ ſed accuſatio propria. Et ſic generaliter ve-
„ rum eſt, quod peccata aliena non ſunt di-
„ cenda in confeſſione, niſi eatenus, quatenus
„ ſunt propria: nec Confeſſores debent inqui-
„ rere.

Non ergo licet peccati ſocium revelare, quum ejuſdem peccati tum ſpecies, tum circumſtantiæ aggravantes explicari poſſunt a pœnitente. Dictat enim charitas, ut famæ proximi conſulamus, neque ipſum abſque gravi cauſa accuſemus. At ſi pœnitens integram peccati ſui confeſſionem facere nequeat abſque complicis manifeſtatione, poteſt ac debet illum detegere; cum id poſtulet confeſſionis integritas, quæ divino jure præcepta eſt. Hinc Doctor Angel. Opuſculo 12. q. 6. ait: *De expreſſione perſonæ cum qua aliquis peccavit, videtur mihi quod non ſit in confeſſione facienda, quando poteſt vitari. Si vero ſpeciem peccati exprimere non poſſit, niſi perſonam exprimendo, cum qua peccavit, puta ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt, ut exprimendo peccati ſpeciem exprimat perſonam: ſed ſi fieri poteſt, debet quærere talem Confeſſarium, qui ſororis perſonam penitus non cognoſcat.*

At dices. Qui criminis ſocium manifeſtat, detrahit famæ ejus: id autem eſt contra jus naturale quod prævalere debet juri poſitivo, quo præcipitur confeſſionis integritas: nullo itaque in caſu fas eſt criminis ſocium declarare.

Reſp. cum S. Thoma in 2. 2. q. 73. a. 2. quod *detractio ſecundum ſuam rationem ordinatur ad denigrandum famam alicujus . Unde ille per ſe loquendo detrahit , qui ad hoc de aliquo obloquitur eo abſente , ut ejus famam denigret . . . Contingit tamen quandoque quod aliquis dicit aliqua verba , per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens , ſed aliquid aliud . Hoc autem non eſt detrahere per ſe , & formaliter loquendo, ſed ſolum materialiter , & quaſi per accidens . Et ſi quidem verba , per quæ fama alterius diminuitur , proferat aliquis propter aliquod bonum neceſſarium , debitis circumſtantiis obſervatis , non eſt peccatum , nec poteſt dici detractio .* Naturalis itaque lex , quæ nos ad occultandum proximorum dedecus obligat , exigit etiam , ut hac in re majoris boni rationem præ oculis habeamus : majus autem ac neceſſarium bonum eſt confeſſionis integritas, quam ſit fama complicis in privata recti prudentiſque Sacerdotis opinione ; præſertim quod ille dum ſceleri ſeſe implicuit , eo ipſo ceſſerit juri ſuo , ne tanquam criminoſus traduceretur .

Notamus hic inſuper , dividi non poſſe peccatorum confeſſionem , adeo ut quædam peccata uni , quædam alteri Sacerdoti dicantur . Caput enim , *Conſideret* , de Pœnit. diſt. 5. n. 1. exſcriptum ex Auctore libri de vera , & falſa pœnit. c. 15. n. 31. de pœnitente ait : *Cautus ſit , ne verecundia ductus dividat apud ſe confeſſionem , ut diverſa diverſis velit Sacerdotibus manifeſtare . Quidam enim uni celant , quæ alteri manifeſtanda reſervant : quod eſt ſe laudare , & ad hypocriſim tendere , & ſemper venia carere , ad quam per fruſta putant totam pervenire .*

nire. Refert hunc etiam canonem S. Bonaventura in 4. d. 21. p. 2. a. 1. q. 1. eundemque ita confirmat : *Confeſſio eſt ad peccatoris accuſationem : ſed cum peccator ſe accuſat de tribus peccatis, & fecit decem, hoc ipſo prætendit Sacerdoti ſe non peccaſſe, niſi ter : ſed hoc eſt falſitas, & hypocriſis manifeſta : ergo &c.*

Addit præterea S. Doctor ibidem : *Confeſſio ordinatur ad peccati cognitionem : ſed nunquam recognoſcit ægritudinem ſufficienter, qui ſolum peccatum unum novit, cum homo multis ægrotet, ſicut patet in medicinis : ergo non ſufficienter peccatum detegit, qui non dicit uni Sacerdoti peccata omnia, quæ commiſit.*

Poſtremo, *Confeſſio fit propter abſolutionem : abſolutio autem Sacerdotis ſignum eſt divinæ abſolutionis : ſed Deus nunquam abſolvit ab una culpa, quin abſolvat ab omni culpa mortali : ergo abſolutio Sacerdotis aut nulla eſt, aut eſt ab omni culpa : ſed non meretur abſolvi a Sacerdote peccator, qui celat ei peccatum : ergo nulla eſt abſolutio, niſi confiteatur Sacerdoti uni omnia, a quibus indiget abſolvi*. Legendus eſt etiam hac de re S. Thomas in ſuppl. q 9. a. 2.

Ex dictis infertur, quod qui duos eligeret Confeſſarios, quorum uni dumtaxat venialia, alteri vero mortalia peccata detegeret, periculo peccandi mortaliter ſe exponeret. Et ratio 1. eſt, quia contra ſinceritatem Sacramenti peccaret : 2. quia potius famæ & exiſtimationi, quam ſaluti animæ, & gloriæ Dei ſtuderet, & ad hypocriſim tenderet : 3. quia ſe periculo frequentis prolapſionis objiceret ; maxime ſi adiret Confeſſarium vel imperitum, vel cui ipſe eſſet ignotus, ut opportuna remedia minime

adhiberet. Quod ſi tandem ita eſſet affectus, ut ſi alterius Confeſſarii copiam non haberet, non aperiret Confeſſario lethale peccatum; proculdubio lethaliter tunc peccaret.

CAPUT VII.

De Confeſſionis ſecreto.

OBligatio, qua Sacerdos ſecretum ſervare tenetur de iis, quæ in confeſſione audivit, per metaphoram *ſigillum* vulgo vocatur; quia nempe quemadmodum ſolemus ſecreta obſerare ſigillo, ne aliis palam fiant; ſic arcana peccatorum Sacerdoti concredita, perpetua ſilentii lege, quaſi ſacro & inviolabili ſigillo ſunt obſignanda, ne aliis innoteſcant.

De hoc itaque ſigillo 1. dicimus, Confeſſarium triplici præcepto ad illud ſervandum obſtringi, naturali videlicet, divino, & Eccleſiaſtico. Naturali quidem; cum de jure naturæ ſit occultare ſecreta ſibi concredita, tueri famam proximi, eidemque non facere, quod nemo ſibi vult fieri. Divino inſuper; quia Chriſtus confeſſionem inſtituens, noluit eam eſſe odioſam, & moraliter impoſſibilem: ergo præcepit media ad hunc finem conducentia, inter quæ unum eſt arcta ſecreti cuſtodia. Eccleſiaſtico tandem; nam cap. *Sacerdos*, de Pœnit. diſt. 6. Gregorius, ut vulgo creditur, VII. inquit: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet: non propinquis*,

quis, non extraneis, neque, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat. Similia etiam in cap. *Omnis utriuſque*, leguntur, commutata tantummodo peregrinationis pœna in arctam alicujus monaſterii cuſtodiam, hiſce verbis: *Qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.*

Ex his vero conſequitur, quod ſicuti qui furatur rem in loco ſacro, velut in aſylo depoſitam, non ſolum peccat peccato furti, ſed etiam ſacrilegii contra religionem, & reverentiam quæ loco ſacro debetur; ita qui ſigillum confeſſionis infringeret, non ſolum peccaret contra jus naturale ſecreti, ſed etiam contra religionem, & reverentiam debitam Sacramento; proindeque triplex peccatum admitteret: Primum detractionis, quia proximum infamaret: ſecundum infidelitatis, non cuſtodiens ſecreti fidem; tertium ſacrilegii, reverentiam Sacramento non ſervans. Et hoc ultimum ſemper eſt mortale, alia autem duo eſſe venialia poſſunt ob materiæ levitatem.

Hinc II. ex communi Theologorum ſententia affirmamus, confeſſionis ſigillum adeo Sacerdoti ſanctum eſſe debere, ut nulla ratione, nullo caſu peccata cujuſquam in confeſſione audita liceat revelare. Cujus doctrinæ præcipua ratio ſumitur ex jure divino: ut enim ait S. Thomas in q. II. ſuppl. a. I. *In ſacramentis ea quæ exterius geruntur, ſunt ſigna eorum, quæ interius contingunt; & ideo confeſſio, qua qui*

Sacerdoti ſe ſubjicit, ſignum eſt interioris ſubjectionis, qua quis Deo ſubjicitur: Deus autem peccatum illius, qui ſe ſibi ſubjicit per pœnitentiam, tegit. Unde & hoc oportet in ſacramento pœnitentiæ ſignificari. Et ideo de neceſſitate ſacramenti eſt, quod quis confeſſionem celet; & tanquam violator ſacramenti peccat, qui confeſſionem revelat. Nam ſi Sacerdos aliquo modo proderet peccatum hominis ſe ei ſubjicientis, tanquam Chriſti vicario; cum illa proditio, ſeu detectio ſuapte natura ſit apud homines ignominioſa; idem Sacerdos facto ſuo ſignificaret Chriſtum peccata eorum quos abſolvit, aliquando ad ignominiam proditurum; quod hujus ſacramenti ſignificationi omnino contrarium eſt.

Quod ſi quæſieris, hoc jus divinum in quonam Scripturæ textu fundatur? Reponemus, fundari in iis textibus, qui occultorum peccatorum confeſſionem præcipiunt cauſa abſolutionis a Sacerdote obtinendæ; atque omnino in iis, quibus aſſeritur Sacerdotes a Chriſto fuiſſe conſtitutos ſui vicarios ad ſolvendum & ligandum, ſive ad remittendum retinendumque peccata, videlicet Matth. 18. & Joan. 20. Inde enim infertur Sacerdotem tanquam Chriſti vicarium debere per confeſſionem peccata cognoſcere, eademque peccata debere celare; quia a confitente deteguntur in ordine ad abſolutionem, ab eodem Sacerdote tanquam Chriſti vicario percipiendam.

Quamvis igitur naturali lege quiſque teneatur ad ſecreti ſibi commiſſi occultationem, maxime quando ejus detectio proximo inferret infamiam; ac præterea canonica lege graves conſtitutæ ſint

pœ-

pœnæ Sacerdotibus peccata ſibi confeſſa pandentibus, uti Decreta ſuperius allata demonſtrant; præcipua tamen vis hujus obligationis ex divino jure, atque ex ipſa Sacramenti ratione oriri videtur; quo fit, ut nullo prorſus caſu, ne periculi quidem vitæ, Reipublicæ, Regni, animarum, nec ulla diſpenſatione Eccleſiaſticæ Poteſtatis liceat vel minimum peccatum ex confeſſione cognitum revelare. Id autem ita non eſſet, ſi ex ſola naturali, vel humana lege hæc obligatio oriretur. Nam ſecreta alia multis in caſibus prodi poſſunt, & in humanis legibus poteſt ab homine diſpenſari. Atque hinc etiam patet majus eſſe hoc vinculum, quam ſit ulla promiſſio ſervandi ſecreti etiam jurejurando firmata; quandoquidem & hic interdum diſpenſatio locum habet.

Dices 1. Quæ divini ſunt juris non ita ſtricte ſemper obligant, quin diſpenſationi ſit locus. Nam ipſamet confeſſio, ejuſque integritas etſi jure divino neceſſaria ſit; poteſt tamen quis in caſu neceſſitatis ſine ulla, aut ſaltem ſine integra confeſſione per contritionem perfectam cum ſolo confeſſionis voto ſalutem conſequi: ergo licet confeſſionis ſigillum divino ſit jure præceptum, urgente tamen neceſſitate poteſt ab eo diſpenſari Sacerdos.

Reſp. ex eo repetendum eſſe diſcrimen, quod ex Scriptura, & ex conſtanti Eccleſiæ traditione certum ſit perfectam contritionem ſufficere ad ſalutem ſine ulla, aut ſaltem ſine integra peccatorum confeſſione; quando neceſſitas urget; non enim Chriſtus ad impoſſibile hominem obligavit: at neque ex Scriptura, neque ex traditione docemur aliquo in caſu in-

ſrin-

fringi poſſe confeſſionis arcanum; imo ipſa Sacramenti ratio, & finis demonſtrant oppoſitum, uti liquet ex dictis.

Dices 2. Si quis in confeſſione ſciat moliri aliquem everſionem civitatis, proditionem regni, perniciemque reipublicæ; niſi id revelet, privatam unius hominis famam præferet univerſorum exitio, contra jus naturale quod præcipit, pluris faciendum eſſe bonum publicum, quam privatum. Ipſum itaque jus naturæ requirit, ut aliquando ſigillum ſacramentale frangatur.

Reſp. per hujus ſigilli fractionem non tantum lædi famam proximi, verum etiam Sacramento ſummam injuriam irrogari, Deum cujus miniſterium Sacerdos exercet, contumelia affici, peſſum dejici maximum totius Eccleſiæ commodum, exoſamque reddi confeſſionem, a qua pœnitens retraheretur, ſi noſſet ſua revelari poſſe delicta. Lex ergo ſacramentalis ſigilli non privatum dumtaxat pœnitentis bonum reſpicit, ſed commune, præcipuumque: ac proinde frangi illud omnino non poteſt, etiamſi mundus rueret univerſus.

Dices 3. Niſi liceat revelare confeſſionis arcanum, neceſſum erit Confeſſario mentiri, ſi de alicujus apud ſe confeſſi crimine interrogetur; immo non mentiri tantum, ſed etiam pejerare oportebit, ſi a judice juramentum exigente cogatur.

Reſp. quod in iis quæ novit aliquis tanquam Dei miniſter, nulli mortalium, ſed ſoli Deo ſubjicitur. Si ergo imprudens quiſpiam Confeſſarium interroget de crimine ipſi in confeſſione detecto, non mentitur, ſi illud a ſe neſciri

ſciri reſpondeat; & ſi ab ipſo Confeſſario judex exigat jusjurandum, poteſt jurare quod neſciat. Unde S. Bonaventura in 4. d. 21. p. 2. a. 2. q. 1. ait: *Secure poteſt dicere, neſcio; nec perjurat, quia juramentum non obligat illum ad dicendum niſi illud, quod novit ut homo, non ut Deus; quia ſupra Deum nullus eſt: unde pro nullo præcepto obedientiæ, pro nullo juramento, vel periculo debet illud dicere.* Ex quo prætérea patet, quod ſi judicis temeritas eo procederet, ut ita Sacerdotem coarctaret: *Jura hoc a te neſciri, etiam tanquam Dei miniſter, & notitia per confeſſionem adepta;* non mentiri, aut jurare deberet, ſed fortiter judicem increpando reponere, ejuſmodi interrogationem impiam & ſacrilegam eſſe, ad quam ſibi non liceat reſpondere; etiamſi certum vitæ diſcrimen ſit aditurus; cum oporteat Deo magis, quam hominibus obedire. Hujus rei illuſtre dedit exemplum S. Martyr Joannes Nepomucenus, qui mortem potius ſubire voluit, quam parere Wenceslao Bohemiæ Regi inique præcipienti, ut quæ in confeſſione Reginæ uxoris ejus audierat, revelaret.

Dices 4. Obtinuit aliquando publica pœnitentia: tunc autem confeſſionis ſigillum non ita religioſe ſervatum fuiſſe videtur. Cum enim certas determinatáſque pœnas ſingulis gravioribus peccatis Canones aſſignarent, facile erat ex illis quale foret pœnitentis crimen agnoſcere.

Reſp. nullum crimen ex publica pœnitentia potuiſſe dignoſci, quoniam plures, etſi gravioris culpæ minime rei, ſponte pœnitentiæ ſtadium decurrebant, ac permulta inſuper ſcelera eidem pœnæ ſubjiciebantur. Sola inſuper pu-

bli-

blica peccata publicæ pœnitentiæ legibus addi-ćta ex Canonum præſcripto fuerunt ; nec unquam divina , vel Eccleſiaſtica aliqua lege ſtatutum eſt , ut peccata occulta in confeſſione publice proferantur . Lege Synodum Tridentinam ſeſſ.14. cap.5. Et quamvis non ſit negandum, publicam pœnitentiam publicamque confeſſionem aliquando fuiſſe occultis etiam peccatis impoſitam ; id tamen pœnitente non invito , & caute admodum ac circumſpećte fiebat , ne potuiſſet occulti criminis induci ſuſpicio , ſcandalumque præberi .

III. Uti certum aſſerimus , in ſacroſanćta ſigilli lege comprehendi peccata omnia & ſingula cum ſuis etiam circumſtantiis , quæ per ſacramentalem confeſſionem cognita ſunt Sacerdoti ; ac inſuper illa , quæ licet per ſe peccata non ſint , ex peccato tamen ſequuntur , & ducere poſſunt in peccati notitiam . Ut enim ait S. Thomas in q. 11. ſuppl. a. 2. *Sigillum confeſſionis direćte non ſe extendit , niſi ad illa , de quibus eſt ſacramentalis confeſſio : ſed indirećte id , quod non cadit ſub ſacramentali confeſſione , etiam ad ſigillum confeſſionis pertinet ; ſicut illa , per quæ poſſet peccator , vel peccatum deprehendi . Nihilominus etiam illa ſummo ſtudio ſunt celanda , tum propter ſcandalum , tum propter pronitatem , quæ ex conſuetudine accidere poſſet .*

In iis quoque peccatis ſecreto confeſſionis locus eſſe debet , de quibus confitens nulla pœnitentiæ ſigna demonſtrat ; dummodo ea ſacramentaliter , & in ordine ad abſolutionem conſequendam confiteatur , juxta cap. *Quod quidam* , Extra, de pœnitentiis & remiſſionibus . Secus autem , ſi irriſorie , vel prava alia intentio-

ſione ad Sacerdotem peccata recitaturus accedat. Et ratio eſt, quia in omni & ſola ſacramentali confeſſione, ſive ſit, ut loquuntur, formata, ſive informis, ſive integra, ſive non integra, & ſive abſolutio ſubſequatur, ſive non, ſacrum hoc ſigillum locum habet.

Si quis autem ſecretum aliquod extra confeſſionem alteri committat cum illa expreſſione verborum, *ſub ſigillo confeſſionis*; ſi ſecretum prodat, proprie loquendo non eſt ſacramentalis ſigilli fractor; quia non illi committitur arcanum confeſſione ſacramentali, ideſt, tanquam ſacramenti miniſtro. Quanquam tenetur eo in caſu ſecretum illud arctiori quodam vinculo cuſtodire, quam cuſtodiatur arcanum aliud naturale. Hac de re ita ſcribit S. Thomas in citata q. 11. ſuppl. a. 2. ad 2. *Aliquis non debet de facili recipere hoc modo; ſi tamen recipiat, tenetur ex promiſſione hoc modo celare, ac ſi in confeſſione haberet, quamvis ſub ſigillo confeſſionis non habeat.*

Præterea, licet ſolus Sacerdos hujus ſigilli vinculo proprie teneatur; alii tamen omnes quicumque aliquo modo, ſeu caſu, ſeu dolo, ſeu neceſſitate aliqua, ut interpretes, confeſſionem audierunt, hujus obligationis participes efficiuntur eatenus, quia revelando peccatum non tantum lædunt naturæ legem, quæ ſecretum alterius peccatum prohibet revelare, ſed etiam ſacramento injuriam afferunt; etſi in eorum facto non ſit falſi ſignificatio, ſicut in facto Sacerdotis, qui ſolus in hoc negotio fungitur vice Chriſti.

Tandem advertimus, Sacerdotem uno tantum in caſu immunem eſſe a culpa revelando

pec-

peccatum; nimirum, ſi expreſſa, ac liberrima pœnitentis licentia id revelet. Ut enim ait S. Bonaventura in 4. d. 21. p. 2. a. 2. q. 2. *Celatio confeſſionis eſt in favorem confitentis: ſed quilibet poteſt cedere juri ſuo: ergo poteſt confitens dare licentiam revelandi*. Et ſane, *Sacerdos non debet propter duo, ſcilicet, quia novit ſolum ut Deus, & iterum, ne populum ſcandalizet, vel etiam ipſum confitentem: Et quia confitens poteſt facere quod ipſe novit ut homo, quando eum facit nuncium, poteſt eum licentiare in caſu, in quo non timetur periculum ſcandali. Ubi autem periculum ſcandali formidatur, quantumcunque pœnitens licentiet Sacerdotem, non debet Sacerdos aſſumere. Tunc autem poteſt timeri periculum ſcandali, quando probabiliter poſſit conjici, quod Sacerdos confeſſionem ſuam revelavit. Unde ſi dicat, quod alii referat peccatum, debet ipſe Sacerdos pœnitentem ſuum conſtituere, non ſe nuncium facere; & ſic vitatur ſcandalum, & non rumpitur ſigillum confeſſionis. Et intelligatur hoc cum illa generali ſuppoſitione, quod peccatum alicujus nulli eſt manifeſtandum, niſi ei qui poſſit prodeſſe, nec velit obeſſe. Intelligitur etiam hoc de peccatis propriis, non de alienis: nam aliena peccata dicere non poteſt, neque debet pœnitens alicui committere; niſi forte in caſu, in quo ipſe deberet dicere; & melius per alium, quam per ſe poteſt bonum illius procurari, ſemper adhibita cautela, ut ex hoc non ſcandalizetur Eccleſia.*

CA-

CAPUT VIII.

De Confeſſionis Miniſtro, & de juriſdictionis poteſtate, quæ in eo requiritur.

SAcramentalis confeſſionis Miniſter ille dicitur; cui debet pœnitens patrata crimina confiteri. De hoc plura quæruntur, illudque præſertim, an miniſterium iſtud ſoli competat Sacerdoti. Nam Valdenſes laicis ſancte viventibus tribuerunt ſolvendi ligandique poteſtatem, quam cum Albigenſibus, Huſſitis, aliiſque hæreticis denegaſſe improbis Sacerdotibus adnotavimus in lib. 24. c. 12. Ex dictis inſuper in ejuſdem libri cap. 9. conſtat, Lutherum abſolutionis munus iis omnibus conceſſiſſe, qui officium paſtoris aſſumpſerint, diabolo etiam, ſi hominis ſpecie in Eccleſiam fortaſſis irreperet.

Ex Catholicis vero Joannes Morinus in lib. 8. de pœnit. c. 23. putat olim apud Latinos conceſſum fuiſſe Diaconis confeſſiones excipere, lapſiſque ſacramentalem abſolutionem impendere, cum urgeret neceſſitas, nulluſque adeſſet Epiſcopus, vel Sacerdos.

Propoſitio. Epiſcopi dumtaxat ac Presbyteri adminiſtrare poſſunt Pœnitentiæ ſacramentum.

Probatur. Chriſtus ſolis dumtaxat Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus ait Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, &c.*

&c. & Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Soli ergo Epiſcopi, Presbyterique Apoſtolorum ſucceſſores poſſunt ſacramentalem excipere confeſſionem, ipſumque Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare. Antecedens propoſitio patet ex communi perpetuoque conſenſu SS. Patrum, quorum teſtimonia aliquot in hujus libri cap. 1. & 5. laudavimus; alia vero plura legi poterunt apud Tournely, Berti, alioſque Theologos.

Theologica inſuper ratione firmatur hæc veritas. Cauſa enim, quæ in Sacramento Pœnitentiæ agitur, Deum inter homineſque verſatur: non ergo erat cuilibet committenda, ſed iis tantum, qui Dei legatione funguntur: nam & in bene ordinata Republica ſupremus Princeps magiſtratum, judiceſque conſtituit, ad quos dumtaxat pertinet de criminalibus civilibuſque cauſis proferre ſententiam. Unde & Apoſtolus ad Hebr. 5. ſcribit Sacerdotes ex hominibus aſſumi, & pro hominibus conſtitui, *in iis, quæ ſunt ad Deum*; nec quemquam debere ſibi ſumere hunc honorem, *ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron*: ex quo teſtimonio colligit S. Thomas in q. 19. ſuppl. a. 3. clavium poteſtatem, quæ ad Cœlum uſque pertingit, Sacerdotibus tantummodo convenire.

Id ipſum quoque demonſtrat S. Bonaventura in 4. d. 19. a. 2. q. 1. ſcribens: „ Dicendum (ſicut dicunt Sancti, & hoc etiam innuit ipſe modus tradendi Ordines) quod in Ordine Sacerdotali clavium poteſtas confertur. Hujus autem ratio eſt inſtitutio divina. Inſtitutionis autem congruitatem videre poſſumus, quoniam harum clavium conſervator

„ ha-

„ habet officium Mediatoris, & officium Re„ conciliatoris. Mediator autem eſt inter „ Deum, & hominem; Reconciliator vero re„ ducendo ad Eccleſiam, & reconciliando Ec„ cleſiæ. Ad hoc autem ut poſſit eſſe Media„ tor perfectus, & competens inter Deum & „ hominem, oportet, quod poſſe habeat offe„ rendi dona & ſacrificia pro peccatis, in qui„ bus Deus placatur. Ad hoc quod poſſit eſſe „ Reconciliator, oportet, quod poſſit reducere „ ad corpus Chriſti myſticum, cujus caput eſt „ ipſe Chriſtus verus: & ut recta ſit, & ordi„ nata poteſtas, oportet, quod habeat poſſe con„ ficiendi ſanctiſſimum Corpus Chriſti: Hoc „ autem pertinet ad ſolos Sacerdotes: Et ideo „ mirabilis Dei ſapientia ordinatiſſimo modo „ ordinans Eccleſiaſticas poteſtates, hanc pote„ ſtatem ligandi & ſolvendi ſolis Sacerdotibus „ commiſit; & ita in Ordine Sacerdotali dan„ tur claves.

Poſtremo Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 10. hoc fidei dogma decernens inquit: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſolvendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus eſſe dictum:* Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: *&*, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: *quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieverit; ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem; anathema ſit.*

Objicies 1. Jacobus in epiſtola ſua c. 5. v. 16. ſcribit: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Non ergo ſoli Sacerdoti, ſed alter alteri cuicumque poteſt confiteri peccata. Et profecto, Pœnitentia eſt Sacramentum neceſſarium non ſecus, ac ipſe Baptiſmus; ergo ſicut urgente neceſſitate quilibet poteſt conferre Baptiſmum, ita & confeſſionem excipere, necnon a peccatis abſolvere. Hinc permulti in vitæ exitu, cum Sacerdotis copiam non haberent, confeſſi ſunt laicis; ad quam confeſſionem hortati ſunt Viri graviſſimi. Auctor enim libri de vera & falſa pœnit. c. 10. ait: *Si deeſt Sacerdos, confiteatur proximo*. Profert hæc verba Magiſter in 4. diſt. 17. aitque quod *conſtet peccata primum Deo, deinde Sacerdoti eſſe confitenda, & ſi ipſe defuerit, etiam ſocio*. Eadem videtur fuiſſe ſententia S. Thomæ q. 8. ſuppl. a. 2. & S. Bonaventuræ in 4. d. 17. p. 3. a. 1. q. 1.

Reſp. Jacobum vel loqui de injuriis invicem condonandis; vel, ſi de ſacramentali confeſſione ipſum loqui contendas, illud *alterutrum* hunc ſenſum habere: Alter alteri; ideſt homo homini, videlicet peccator Sacerdoti, de quo ibidem v. 14. legitur: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*.

Major deinde eſt Baptiſmi neceſſitas, quam Pœnitentiæ, ſi de confeſſione, & abſolutione loquamur; quia quandoque Baptiſmus prætermitti non poteſt ſine periculo ſalutis æternæ, ut patet in parvulis, qui rationis uſu privantur. Non ita vero eſt de confeſſione, & abſolutione, quæ ad ſolos ſpectat adultos, in quibus contritio cum propoſito confitendi, & deſiderio percipiendæ abſolutionis ſufficit, ut ab æter-

æterna morte ſerventur. Accedit, quod Baptiſmus eſt per modum regenerationis, pœnitentia autem per modum judicii, ad quod ferendum non omnes inveniuntur idonei. Relege quæ diximus in c. 5. ad 3. argumentum, & quæ habet Seraph. Doctor in 4. d. 17. p. 3. a. 1. q. 1. ad ult. argumentum.

Qui peccata ſua confeſſi ſunt laicis, non ſacramentalem perfecere confeſſionem; ea namque confeſſio eſt ſacramentalis, quam quis legitimo miniſtro facit, ut ita poſſit a peccatis abſolvi: demonſtratum eſt autem legitimum hunc miniſtrum eſſe ſolummodo Sacerdotem. Eo igitur fine nonnulli laicis ſunt confeſſi, ut contritionis & propoſiti ad ſacramentum accedendi indicium exhiberent, & ut coram proximo erubeſcentes plenius pro peccatis ſatisfacerent, ac poſtremo ut ad orandum pro ſe alios excitarent. Hoc in ſenſu confeſſionem iſtam commendavit Auctor libri de pœnit. cum poſt objecta verba ſubjiciat: *Sæpe contingit, quod pœnitens non poteſt confiteri coram Sacerdote, quem deſideranti nec locus, nec tempus offert: & ſi ille, cui confitebitur, poteſtatem ſolvendi non habet, fit tamen dignus venia ex deſiderio Sacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis.*

Sententiarum Magiſter in citata diſt. aperte ſcribit, *quod Sacerdotis examen requirendum eſt ſtudioſe: quia Sacerdotibus conceſſit Deus poteſtatem ligandi atque ſolvendi. Et ideo quibus ipſi dimittunt, & Deus dimittit.* Dum vero ait proximo vel ſocio faciendam eſſe confeſſionem, non per id indicat præceptum; ſed, ut in ſuperius laudato loco inquit S. Bonaventura,

dat Magiſter conſilium, quod confiteatur proprio ſocio: non quod illa confeſſio ſacramentum Ecclesiæ ſit, ſed ut talis oſtendat ſe perfectam habere voluntatem, & facere quod in ſe eſt.

Angelicus etiam Doctor in objecto articulo ad 1. dicit: *Quando neceſſitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri, & confiteri, cui poteſt: qui quamvis ſacramentum perficere non poſſit, ut faciat id quod ex parte Sacerdotis eſt, abſolutionem ſcilicet; defectum tamen Sacerdotis ſummus Sacerdos ſupplet*: Id eſt, Deus intuitu contritionis, ac devotionis pœnitentem a peccatis abſolvit, ipſumque juſtificat, non per confeſſionem perfecte proprieque ſacramentalem, ſed per contritionem cum voto confitendi coram Sacerdote: ideoque idem S. Doctor ad 3. ait, quod ſi pœnitens periculum evaderet, confiteri coram Sacerdote deberet: *Quamvis ille laico confeſſus in articulo neceſſitatis conſecutus ſit veniam a Deo, eo quod propoſitum, quod concepit confitendi ſecundum mandatum Dei ſicut potuit, implevit; non tamen adhuc Eccleſiæ reconciliatus eſt, ut ad ſacramenta Eccleſiæ admitti debeat, niſi prius a Sacerdote abſolvatur: ſicut ille qui baptiſmo flaminis baptizatus eſt, ad Euchariſtiam non admittitur. Et ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit.*

Denique Seraph. Doctoris mens aperte patet tum ex iis quæ in probatione retulimus, tum ex eadem quæ objicitur quæſtione, ubi reſpondens inquit, „ quod eſt loqui de confeſſione „ dupliciter. Uno modo, prout eſt opus vir„ tutis directe repugnans hypocriſi, in quo „ quis ſeipſum accuſat, ne alius quam ſit ap-

„ pa-

„ pareat „ vel etiam mala ſua aperit ad inve-
„ ſtigandam morbi curationem : & hoc modo
„ confeſſio cuilibet poteſt fieri, qui poteſt ad-
„ juvare inſtruendo, vel orando, de quo ho-
„ mo poteſt erubeſcere, & humiliari, & ille
„ exemplo humiliationis meliorari, non pec-
„ catorum cognitione depravari : & ſic quis
„ poteſt peccatum ſuum cuilibet confiteri, ſive
„ Clerico, ſive laico : ſicut etiam dicit Ber-
„ nardus ſuper Cantica : Vir perfectus tantus
„ eſt veritatis amator, quod vellet omnes noſ-
„ ſe ſua mala; dum tamen eis non eſſet occa-
„ ſio mali, ſed boni. Alio modo confeſſio eſt
„ opus ſacramentale, prout ordinatur ad re-
„ conciliationem, quæ fit per abſolutionem,
„ & ligationem: & quoniam hæc poteſtas col-
„ lata eſt ſolis Sacerdotibus; ideo hæc nulli
„ niſi ſolis Sacerdotibus eſt facienda.

Ex hac autem S. Bonaventuræ doctrina conſequitur confeſſionem laico factam ſacramentalem neceſſariamque non eſſe, immo & aliquando eſſe penitus omittendam, ſi ex peccatorum declaratione oriri poſſe ſcandalum aliquod timeatur. Id etiam Ven. Scotus evidentius affirmavit in 4. d. 17. q. unica n. 27. inquiens :
„ Talis confeſſio poteſt eſſe materia verecun-
„ diæ, quæ eſt una pœna debita peccato : &
„ in hoc confitens ſolvit aliquam pœnam,
„ quam ſolveret, ſi confiteretur Sacerdoti. Sed
„ quia accuſatio ad hoc ex præcepto fit, &
„ non ad aliud, ut ſequatur ſententia, & lai-
„ cus nullam habet ſententiandi auctoritatem
„ in iſto foro; ſequitur, quod nullum præce-
„ ptum eſt de accuſando ſe laico: & forte uti-
„ lius eſſet non accuſare ſe illi, ſi poſſet æqua-

„ lem verecundiam habere apud ſe recogitan„ do eadem peccata, & ſic æque puniri. Et „ ſi diceret aliquis, quod neceſſarium eſt non „ confiteri laico, quia nulli licet diffamare ſe, „ nec prodere peccatum ſuum occultum, ma„ xime quando ille, cui prodit, non præſumi„ tur celator ſecreti, nec ſcit melius conſule„ re peccatori, quam ipſemet ſibi; forte enim „ propter conſilium requirendum, liceret ali„ cui revelare peccatum ſuum alicui laico di„ ſcretiori. Sed nec hoc patet; quia conſilium „ poſſet inquiri poſito caſu in univerſali de „ aliquo, abſque revelatione peccati ſui.

Objicies 2. S. Cyprianus in epiſt. 12. ad Clerum de lapſis ſcribit: *Si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud Presbyterum quemcunque præſentem, vel ſi præſens non fuerit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſideraverunt*. Hic Cyprianus tria munera Diaconis urgente neceſſitatis caſu permittit; 1. nempe, ut exomologeſim, hoc eſt, confeſſionem lapſorum excipiant; 2. ut in pœnitentiam eis manus imponant; 3. ut eiſdem pacem concedant, quam pro ipſis Martyres poſtulaverant, & cum qua ire poſſint ad Dominum. Sunt ergo Diaconi ſaltem extraordinarii hujus ſacramenti miniſtri; dum nimirum Epiſcopi, Presbyterique defuerint.

Reſp. quod etſi *exomologeſis* vocabulum ad denotandam ſacramentalem confeſſionem a Veteribus ſæpius uſurpetur; non raro tamen adhibe-

hibetur etiam ad ſignificandum publicæ pœnitentiæ exercitium, ac præſertim tertium ejuſdem pœnitentiæ gradum, *ſubſtrationem* ſcilicet, in qua proſtrati pœnitentes impoſitioni manuum, non tantum Epiſcopi, ſed etiam Cleri ſubjiciebantur. Hoc ſenſu exomologeſim accipit Tertullianus in lib. de pœnit. c. 9. ſcribens: *Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem iniungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare.* Et ipſemet Cyprianus in epiſt. 9. eodem ſenſu exomologeſim accipiens, inquit: *Cum in minoribus peccatis* (minora peccata dicit comparate ad idolorum cultum, fideique abnegationem) *agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant; nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ pace, ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita, Eucharistia illis datur.*

Dum itaque S. Martyr in epiſt. 12. permittit, ut lapſi urgente neceſſitate apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, non loquitur de ſacramentali confeſſione, quæ publicæ pœnitentiæ præmittebatur, ut conſtat ex Origene in Pſal. 37. ex Auguſtino ſerm. 351. aliiſque Patribus; ſed loquitur de prædicto pœnitentiæ exercitio, quod ſacramentalem ſequebatur confeſſionem; quodque idcirco exomologe-

ſis, ſive confeſſionis nomine deſignatum eſt; quia qui in luctuoſa ſorde, gemitu, ſubſtratione pœnitentiam agit, peccatorem ſe eſſe fatetur.

Ea etiam manuum impoſitio a Diaconis facta non erat ſacramentalis abſolutio a peccatis, ſed ceremonia quædam puruſque ritus, qui ab inferiori etiam Clero fieri poterat, ut pœnitentes in Eccleſiæ communionem quoad forum dumtaxat externum reciperentur; quamvis dum eundem ritum agerent Sacerdotes, ſacramentalis etiam abſolutionis formam adjungerent, & quoad internum inſuper forum reconciliarent. At formam illam Diaconi proferre non poterant: neceſſitate tamen inſtante ſacramenti votum & contritio ſupplere poterat abſolutionis ac ſacramenti defectum, ut pœnitentes cum pace ad Dominum pervenirent.

Objicies 3. nonnulla Conciliorum decreta, quæ facultatem dedere Diaconis, ut dum neceſſitas premit, confeſſiones audiant, & ſupra pœnitentes manus imponant; non ſecus ac id Sacerdotes extra neceſſitatis caſum efficiunt. Eliberitanum namque Concilium can. 32. ait: *Apud Presbyterum, ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit pœnitentiam agere non debere, ſed potius apud Epiſcopum: cogente tamen infirmitate, neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos.*

Eboracenſe anno 1194. *Decrevimus etiam*, inquit, *ut non niſi ſumma & gravi urgente neceſſitate Diaconus baptizet, vel corpus Chriſti cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat.*

Lon-

Londonienſe anno 1200. ita c.3. ſtatuit: *Non liceat Diaconis baptizare, vel pœnitentias imponere, niſi duplici neceſſitate: videlicet quia Sacerdos non poteſt, vel abſens, vel ſtulte non vult, & mors imminet puero vel ægro.*

Tandem in cap. *Fures*, tit. de Furtis, in 5. Decretalium hæc habentur: *Fures, & latrones, ſi in furando, & deprædando occiduntur, viſum eſt pro eis non eſſe orandum: ſed ſi comprehenſi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.* Quo ſane nil clarius adduci poteſt, ut Morini adſtruatur opinio.

Reſp. Eliberitanam Synodum communionis nomine intellexiſſe vel canonicam & ceremonialem cum Eccleſia reconciliationem, vel potius ipſam Euchariſticam communionem, quæ publice pœnitenti, & mortis anguſtiis occupato præbenda a Diaconis erat, ſi Sacerdos ita juſſiſſet.

Eboracenſe autem, & Londonienſe Concilia concedunt quidem Diaconis, ut in extrema neceſſitate confeſſiones excipiant, & pœnitentiam imponant; at non eis jus tribuunt, ut ſacramentaliter a peccatis abſolvant. Neque mirandum eſt, ſi quandoque Diaconi confeſſiones audierint, ſi & laicos audiviſſe ex ſupra dictis apparet; quamvis Diaconi confeſſiones excipiendo, & pœnitentiam imponendo quid amplius præſtitiſſe dicendum eſt, ceremonialem ſcilicet reconciliationem.

Quæ demum leguntur in cap. *Fures*, accipi recte poſſunt de communione in orationibus, & ſuffragiis Eccleſiæ; uti textus ipſe evidenter oſtendit. Ceterum in hoc Canonici Juris caput

error

error irrepſit; non enim legendum eſt, *Preſbytero, vel Diacono;* ſed, *Presbytero & Deo*; ſicuti legitur in canone 31. Concilii Triburienſis, ex quo citatum caput, *Fures*, depromptum fuiſſe conveniunt Eruditi.

Jam itaque ex hucuſque dictis apparet, ſolos Sacerdotes ſacramentalis confeſſionis, & abſolutionis eſſe miniſtros. Ut autem illi non licite tantum, ſed & valide abſolutionem impendant, oportet, quod poteſtatem juriſdictionis, & Epiſcopi approbationem accipiant. Abſolutio enim eſt actus judicialis, quo a Sacerdote, velut a judice, profertur ſententia: judicialis autem actus expoſcit, ut dumtaxat in ſubditos ſententia proferatur. Niſi ergo Sacerdos juriſdictionis poteſtatem habuerit, non poteſt quemquam a peccatis abſolvere. *Quoniam igitur*, inquit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. c. 7. *natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Id quoque jam antea definierat Lateranenſe Concilium IV. can. 21. ubi mandat, *ut omnis utriuſque ſexus Fidelis ſaltem ſemel in anno confiteatur peccata ſua proprio Sacerdoti: quod ſi voluerit alieno Sacerdoti confiteri, licentiam prius poſtulare debeat & obtinere a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe non poſſit abſolvere, vel ligare.*

At dices. Quilibet Sacerdos ex ordinatione ſua poteſtatem habet abſolvendi a peccatis, ſicut

ſicut habuerunt Apoſtoli. Sicut enim Chriſtus Apoſtolis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, &c.* ita hoc idem dicitur Sacerdotibus, dum initiantur. Ergo quemadmodum Apoſtoli judiciaria a Chriſto præditi poteſtate, eam ubique poterant exercere, ita pariter Sacerdotes.

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 19. a. 2. q. 2. „ quod ſi loquamur de potentia ſolvendi „ quantum ad eſſentiam, ſic radicaliter eſt in „ ipſa anima, ſicut & character, nec videtur „ ab illo differre, niſi ſecundum relationem „ quandam: & hoc modo inſeparabiliter ſe te- „ net cum Sacerdotali Ordine. Alio modo poſ- „ ſumus loqui quantum ad uſum: & hoc mo- „ do requiritur auctoritas juriſdictionis. Sacer- „ dos enim eſt mediator, & in quantum me- „ diator, inferior eſt Deo, & ſuperior pœni- „ tente, & arbiter, & judex homini conſtitu- „ tus loco Dei ad parcendum, ſive ſolvendum, „ & ad puniendum. Talis autem judicatio non „ eſt ſine aliqua juriſdictione in eum, qui ju- „ dicatur; quia nemo poteſt aliquem judicare, „ niſi qui judex ejus conſtituitur ab eo, qui „ poteſt. Et ideo juriſdictio eſt tanquam vis „ motiva ipſius clavis, ſive manus: hac autem „ deficiente, quæ clavem moveat, etſi adſit „ clavis, nunquam aperiet; & ſi amittitur hæc „ juriſdictio, ceſſat clavis executio . . . Ideo „ dico, quod etſi clavis quantum ad eſſe Or- „ dinem conſequatur, tamen quantum ad exe- „ cutionem ſequitur juriſdictionem.

Id inſuper obvio illuſtratur exemplo. Quid enim ſimile in civili quoque regimine poteſt aliquando contingere; velut ſi Rex cuipiam po-

te-

teſtatem judicandi conferret, nullos tamen ei ſubditos aſſignaret; ſed aſſignandos Proregi, vel Provinciæ Præfecto committeret, quando id opportunum ille cenſeret. Ita etiam ſe res habet in Pœnitentiæ Sacramento. Nam licet quilibet Sacerdos in ordinatione ſua a Chriſto abſolvendi poteſtatem accipiat; cum tamen non ei Chriſtus ſubditos aſſignaverit, ſed id Eccleſiæ curæ crediderit; idcirco poteſtas illa in exercitium uſumque exire non poteſt, niſi cum Eccleſiaſtici Superiores aſſignant Sacerdoti ſubditos, in quos juriſdictionem exerceant.

Ergo quamvis Sacerdotes dum initiantur, ab Epiſcopo audiant, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis, &c.* non tamen tunc poteſtatem juriſdictionis accipiunt, ſed quum aut Paſtorale beneficium conſequuntur, aut ad audiendas confeſſiones ab Epiſcopo approbantur. Lege Synodum Tridentinam in ſeſſ. 23. cap. 15. in Decreto de Reformatione. Ordinariam itaque juriſdictionis poteſtatem habent quicunque animarum regimini in Eccleſia præficiuntur; Romanus nempe Pontifex in tota Eccleſia, Epiſcopus in ſua Diœceſi, Parochus in ſua Parœcia, Prælatus regularis in viros ſibi ſubditos regulares. Habent vero delegatam poteſtatem quicunque ab Epiſcopis judicantur idonei, & approbationem obtinent, ut confeſſiones excipiant.

Tandem ipſis etiam Apoſtolis, ut quemlibet ſolverent, vel ligarent, præter facultatem expreſſam verbis paulo ſupra productis, neceſſum fuit, ut a Domino in univerſum orbem, tanquam conditores fidei, Eccleſiarum paſtores, & populorum judices mitterentur. Unde Joan.

Joan. 20. v. 21. Chriſtus ait: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, &c.* Oportet igitur, ut pariter Sacerdotes miſſionem habeant; hoc eſt, juriſdictionem obtineant. Lege S. Bonaventuram in citata diſt. a. 3. q. 1. ad 2.

Dices 2. In mortis articulo poteſt quilibet Sacerdos quemlibet a quibuslibet peccatis abſolvere: non ergo in abſolvente requiritur poteſtas juriſdictionis ab ordinis poteſtate diſtincta. Deinde ſi verum id eſſet, ſequeretur, quod Papa a nemine poſſet abſolvi; cum nemo in ipſum habere valeat juriſdictionem.

Reſp. ad 1. eo in caſu Eccleſiam, quæ tanquam pia mater neminem vult perire, concedere cuilibet Sacerdoti plenariam juriſdictionem quemlibet abſolvendi. Unde Synodus Tridentina ſeſſ. 14. c. 7. ait: *Pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.*

Ad 2. bene ita reſpondet Seraph. Doctor in 4. d. 19. a. 3 q. 2. „ Dicendum, quod inferior „ ſuperiorem poteſt abſolvere, ſi ſuperior velit ei ſe ſubjicere; & hoc patet ſic: Virtus „ clavium quantum eſt de ſe, ad omnes ſe „ extendit, niſi ex ordinatione Superiorum manus arctaretur propter ſervandum ordinem „ Eccleſiaſticum: Sacerdos enim ex ſua ordinatione inſtitutus eſt mediator inter Deum „ judicem, & hominem peccatorem: & quantum eſt ex parte Dei, non eſt differentia a

„ qui-

„ quilibet enim ſuum Sacerdotem reputat me-
„ diatorem, & cuilibet impreſſit Epiſcopus me-
„ diatoris characterem. Sed differentia eſt ex
„ parte hominum; quia ſi quilibet eſſet me-
„ diator cujuslibet, eſſet in Eccleſia confuſio:
„ & ideo alii aliis ſubjecti ſunt; & qui ſubji-
„ ciuntur uni, non poſſunt dare alteri auctori-
„ tatem in ſe: ſed ſi libera eſſet perſona, quæ
„ poſſet ſe ſubjicere, tunc abſque dubio poſſet
„ eam abſolvere.

„ Quoniam ergo ſupremus Prælatus, qui
„ meræ libertatis eſt, & nulli ſubjectus, poteſt
„ ſe cui vult ſubjicere, & alii exempti ſuis
„ etiam ſubditis; concedo quod ipſi poſſunt
„ eos abſolvere. Quod autem ſupremus Præ-
„ latus ſe poſſit ei ſubjicere, jus divinum con-
„ cordat; quia cum ipſe ſit circumdatus infir-
„ mitate, debet ſubjici Sacramentis: & ſicut
„ medicus infirmatus quærit medicum, & me-
„ dicinam, non inquantum medicus, ſed in-
„ quantum ægrotus: ſic Eccleſiæ Prælatus, &
„ Mediator quærit Sacerdotem, inquantum Dei
„ inimicus per culpam factus eſt, & inquan-
„ tum peccator. Jus etiam canonicum concor-
„ dat, quod unuſquiſque poſſit auctoritatem
„ ſuam communicare pro ſe aut pro utilitate
„ ſua, ſine præjudicio facto propriæ auctorita-
„ ti, & poteſtati; & ita ſummus Pontifex
„ poteſt ſe cuilibet Sacerdoti ſubjicere, & ab-
„ ſolutionem petere: poſſunt etiam & alii
„ Prælati de permiſſione Papæ; ſicut dicitur
„ in illa Decretali de pœnit. & remiſſ. quæ eſt
„ Gregorii IX. *Ne pro dilatione pœnitentiæ pe-*
„ *riculum immineat animarum, permittimus Epi-*
„ *ſcopis, & aliis Superioribus, necnon minori-*
„ *bus*

„ *bus Prælatis exemptis, ut præter Prælati ſui* „ *licentiam providum & diſcretum poſſint ſibi* „ *eligere Confeſſorem.*

Ex dictis 1. ſequitur, nec veniale peccatum, nec mortale, quamvis alias remiſſum, poſſe a Sacerdote *ſacramentaliter* abſolvi, ſine ordinaria, aut delegata juriſdictione; eos vero Theologos, qui oppoſitam ſententiam tradiderunt, aperte ex adducta ratione refelli, nimirum, quod hæc quoque abſolutio ſit judicialis actus, & a Sacerdote velut a judice proferatur.

Sequitur 2. jus penes ſummum Pontificem, & Epiſcopos reſidere reſervandi ſibi graviorum quorundam criminum abſolutionem. Si enim ab illis poteſtas juriſdictionis confertur quibus iidem conferre voluerint, ut a peccatis abſolvant; certe poſſunt pariter ejuſmodi juriſdictionem definitis limitibus coarctare. Quare ſicuti abſolutio nulla & irrita eſt abſque poteſtate juriſdictionis; ita eſt inanis & caſſa, ſi abſque Præſulum licentia impendatur atrocioribus illis ſceleribus, quæ ſibimet reſervaverint; ideoque ipſorum reſtrictio non ſpectat ad externam tantummodo politiam, verum etiam ad validam peccatorum abſolutionem. Hæc enim eſt aperta Tridentinæ Synodi doctrina, quam tradit in ſeſſ. 14. c. 7. inquiens: *Magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur; unde merito Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt,* quan-

quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſuprà reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura adnexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem, conſonum eſt divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere.

Id quoque definitum legitur in ejuſdem ſeſſionis Canone 11. qui ſic ſe habet: *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam; atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quominus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat; anathema ſit.*

Poſſunt præterea Regularium Superiores reſervare ſibi peccata eorum, qui ipſorum juriſdictioni ſubduntur. Hac vero de re extat Decretum Clementis VIII. emanatum anno 1593. die 26. Maji, quod reſervandorum caſuum moderationem Superioribus præſcribit, ut legitur etiam in Urbanis noſtris Conſtitutionibus in caput 7. Regulæ titulo 1.

CAPUT IX.

De tempore, quo præceptum Confeſſionis obſtringit.

DUm Theologi de tempore differunt, quo divinum, & Eccleſiaſticum confeſſionis præceptum obligat, plura explicant dubia, quorum præcipua & utiliora nos etiam hic enodanda proponimus. Horum itaque 1. ſit, quandonam ad confeſſionem ex divino præcepto teneantur, qui graviter deliquerunt?

Reſp. ex communi ſententia obligari ad confitendum in probabili vitæ periculo; cum alio modo, quam per confeſſionem, nequeat tunc peccator ſaluti ſuæ tuto conſulere. Ad illam inſuper obligatur, dum vult ad Euchariſtiæ ſacramentum accedere, uti diximus in lib. 28. c. 12. ac præterea cum juſta timendi cauſa adſit, ne gravium peccatorum ſubrepat oblivio. Debet enim Fidelis, quantum in ſe eſt, efficere ut integra ſit confeſſio: cum ergo noverit ſe infirmæ admodum eſſe memoriæ, antequam peccati obliviſcatur, Sacerdoti illud confiteri tenetur, ne ſe evidenti periculo violandi confeſſionis integritatem exponat.

Major autem difficultas in eo conſiſtit; num nempe peccator ſtatim, ac in grave aliquod crimen lapſus eſt, confiteri teneatur; an vero uſque ad tempus Paſchalis differre confeſſionem poſſit, quin divinum præceptum infringat? Hac ve-

vero in re Seraph. Doctoris ſententiam ceteris præferendam exiſtimamus. Scribit enim ille in 4. d. 17. p. 2. a. 2. q. 2. „ *De talibus*, *de iis* „ *nempe qui lethaliter deliquerunt*, generaliter „ aſſerere, quod poſſunt uſque ad Paſcha diſ- „ ferre, videtur mihi periculoſum; ſimiliter, „ quod teneantur ſemper, quando ſe offert op- „ portunitas confiteri, videtur valde durum. „ Ideo videtur rationabiliter ſentiendum me- „ dium, ſcilicet, quod opportunitas loci, „ temporis, & Sacerdotis poteſt tripliciter ſe „ ante Paſcha offerre. Aut ita quod timetur, „ ne unquam ſe offerat talis opportunitas, ſicut „ eſt in his qui graviter infirmantur; & tales „ ante tenentur abſque dubitatione ad confeſ- „ ſionem; aut ita quod major opportunitas ex- „ pectatur, vel quantum ad tempus, vel quan- „ tum ad Sacerdotem; & ſic poteſt differri ſi- „ ne aliquo peccato: aut ita quod nunquam „ rationabiliter major opportunitas expectatur, „ vel quantum ad Sacerdotem, vel quantum „ ad tempus; & tunc credo ſine præjudicio, „ quod tenetur.

„ Et ideo aliter cenſendum eſt hic de Reli- „ gioſo, aliter de laico. Nam Religioſo totum „ tempus vitæ eſt tempus pœnitentiæ; & ideo „ habita copia Sacerdotis, ſi peccavit mortali- „ ter, credo, quod tenetur ſine mora confite- „ ri, & ad ipſum recurrere. Et intelligitur „ ſine mora, ſicut ratio recta determinat. Lai- „ cus vero poteſt rationabiliter expectare tem- „ pus quadrageſimale, quod eſt tempus pœni- „ tentiæ; unde cum hoc tempus ſit magis op- „ portunum in eis ad ſatisfaciendum, & confiten- „ dum, ſi expectent, rationabile eſt judicare

„ quod

„ quod non peccent ; dum tamen proponant „ firmiter tunc temporis confiteri . De Clericis vero judicare non audeo : conſilium tamen „ ſanum credo , quod omnes qui cadunt per „ mortale, quamcitius poſſunt , confiteantur ; „ non enim videtur vere contritus , qui tam „ longo tempore vulnus peccati portat oc- „ cultum.

„ Si autem objicias mihi , quod ſtatus non „ obligat aliquem , niſi per votum : Reſpon- „ deo , quod ſtatus non obligat , ſed manda- „ tum omnibus datum : ad nunc autem , vel „ ad tunc obligat opportunitas , quæ diverſi- „ mode offert ſe diverſis ; & illud veritatem „ habet in omnibus præceptis affirmativis , quod „ ad aliquod tempus obligatur unus , ad quod „ quidem tempus alter non obligatur ; ſicut „ patet in honore parentum . Fatendum eſt „ igitur , quod mandatum illud nullum obligat „ ad ſtatim , niſi in caſu, ut viſum eſt.

Hanc autem S. Bonaventuræ ſententiam ſequi detrectant , tum rigidiores quidam Theologi arbitrantes peccatorem ſtatim poſt lapſum ad confeſſionem teneri , cum primum poteſt commode Confeſſarium invenire ; tum alii laxiores , qui uſque ad Paſcha ab omnibus qui peccarunt , confeſſionem prorogari poſſe tuentur. Prioris itaque ſententiæ Defenſores opponunt 1. Qui manet in gratia , tenetur nunquam cadere per peccatum ; ab oppoſito igitur , qui peccat , tenetur nunquam in peccato perſiſtere : ergo ſtatim ac peccat , confiteri tenetur ; cum confeſſio ſit medium , per quod a peccato reſurgimus. Deinde , qui corporali morbo laborat , ſtatim debet medicum quærere , & pharma-

cum adhibere ; quanto itaque magis id faciendum ab eo eſt , qui ſpiritualiter infirmatur ! Præterea , quanto diutius homo in peccato moratur, tanto inhabilior redditur ad reſurgendum: ergo quanto citius confitetur , tanto eſt ad reſurgendum habilior : conſtat vero , quod aliquando tenetur confiteri , & non niſi quando habilior eſt : ſi ergo tanto habilior, quanto citius: ergo quam citius poteſt , confiteri tenetur.

At breviter ad ſingula reſpondemus cum S. Bonaventura ; & 1. quidem dicimus non rectam includere paritatem , *quia teneri ad non cadendum eſt tentio præcepti negativi , quod obligat ad ſemper : ſed teneri ad reſurgendum eſt tentio affirmativi, quod non obligat ad ſemper .*

Ad alterum . Qui corpore ægrotat, *ſi aliam videat viam curationis , non tenetur medicum conſulere , vel etiam ſi expectat tempus magis congruum : & quia ita eſt in propoſito ; ideo &c.*

Ad 3. *quod objicitur , quod quanto homo citius confitetur, tanto eſt habilior; dicendum, quod homo poteſt reſurgere a peccato ante confeſſionem: & ideo cum deletum ſit per contritionem , non ſequitur illud .*

Benigniores vero Theologi illud præſertim objectant , quod Eccleſia Fidelibus præcipiat dumtaxat, ut ſemel in anno confiteantur ; ut conſtat ex Decreto Lateranenſis Concilii IV. *Omnis utriuſque ſexus , &c.* At bene reponit S. Bonaventura , *quod quantum eſt de mandato illius Decretalis , non obligantur ante Paſcha ; obligantur tamen aliqui ex neceſſitate inſtitutionis ſacramenti , & ex gravi culpa commiſſa .* Lege reſolutionem quæſtionis, & reſponſionem

ad

ad ultimum argumentum. Deinde, ut ibidem nonnulli Theologi adnotant, *Non obſtat Decretalis, quia non dat licentiam differendi, ſed prohibet negligentiam, & dilationem: ſicut etiam prohibet, ne quis ultra annum in excommunicatione maneat; non tamen dat licentiam remanendi uſque ad horam illam.*

Et profectò Eccleſiæ mens non fuit divinum præceptum exponere, ſed cohibere dumtaxat immodicam libertatem hominum, qui jus divinum interpretabantur pro libito, & peccata confitebantur quando volebant. Ideo autem Eccleſia ſtatuit ſemel in anno ſingulis Fidelibus confitendum eſſe, quoniam pauci ſunt mortalium, qui unius anni decurſu gravem aliquam culpam non admittant; pauciores etiam, qui non obliviſcantur rerum a ſe geſtarum, quæ integri anni ſuperent intervallum. Denique, uti ſcribit Doctor Angel. in. q. 6. ſuppl. a. 5. *inde venit obligatio, qua Eccleſia omnes obligat ad ſemel in anno confitendum, quia inſtituit ut ſemel in anno, ſcilicet in Paſchate, omnes ſacram Communionem accipiant; & ideo ante tempus illud omnes confiteri tenentur.* Id etiam citato in loco docet S. Bonaventura.

Neceſſe tandem habemus, ut Catechiſmi Romani de frequenti confeſſione monitum exſcribamus ex p. 2. c. 5. n. 53. „ Nulla res fidelibus „ adeo curæ eſſe debet, quam ut frequenti „ peccatorum confeſſione animam ſtudeant ex- „ piare; etenim cum aliquis mortifero ſcelere „ urgetur, nihil ei magis ſalutare eſſe poteſt „ ob multa, quæ impendent, vitæ pericula, „ quam ſtatim peccata ſua confiteri. Nam, ut „ ſibi quiſque diuturnum vitæ ſpatium polli-

 „ ceri

„ ceri queat, turpe profecto eſt, cum in eluen-
„ dis corporis, aut veſtium ſordibus tam dili-
„ gentes ſimus, non eadem ſaltem diligentia
„ curare, ne animæ ſplendor turpiſſimis peccati
„ maculis obſoleſcat. " Lege quæ hac de re Conſtitutiones noſtræ præſcribunt in cap. 3. Regulæ tit. 10.

Dubium II. Quanam anni parte obligat Eccleſiaſticum confeſſionis præceptum?

Reſp. Lateranenſe Concilium nullam pro facienda confeſſione partem anni determinare voluiſſe, ſicuti Paſchale tempus pro percipienda Euchariſtia deſignavit: unde colligitur, quovis anni die, non vero præciſe in Paſchate poſſe præceptum illud impleri. Valde tamen commendat Eccleſia praxim confitendi in Quadrageſima; quam ob rem in ejus prima die Fidelium capita cineribus aſperguntur, & olim peccatores poſt confeſſionem inibant pœnitentiæ ſtadium, ut feria quinta, aut ſexta majoris hebdomadæ reconciliarentur. Hinc Synodus Tridentina in ſeſſ. 14. c. 5. de hoc annuæ confeſſionis præcepto ſic loquitur: *Jam in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc Sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tanquam pium, & merito retinendum.*

Dubium III. An qui toto anni decurſu non eſt confeſſus, teneatur quamprimum huic Eccleſiæ præcepto parere?

Reſp. affirmative. Nam quoties præceptum aliquod eum in finem imponitur, ut non protrahatur ulterius ejus executio, ille cui impo-

ni-

nitur, non liberatur ab onere præcepti, quando huic tempore præſcripto minime ſatisfecit. Ita qui aliquam pecuniæ ſummam ſolvere teneretur in Paſchate, & non ſolveret, elapſo Paſchatis tempore liber non eſſet a debito. Atqui Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis præceptum in eum finem eſt impoſitum, ne diutius confeſſio protrahatur; id enim illa Lateranenſis Concilii verba ſignificant, *ſaltem ſemel in anno confiteatur*; id eſt, ultra annum confiteri non differat. Atque in hoc differt annuæ confeſſionis præceptum ab obligatione audiendi Sacrum, ſervandi jejunium, recitandi divinum officium, aliorumque hujuſcemodi præceptorum, quod iſtorum obligatio ſit veluti alligata tempori, ac præſertim ob ejuſdem temporis circumſtantiam & honorem injuncta, unde eo elapſo non amplius perſeverat.

Dubium IV. An iſtud Eccleſiæ præceptum adimpleat qui ſacrilege confitetur?

Reſp. minime. Una enim eademque confeſſio ab Eccleſia & a Deo præcipitur, & præceptum Eccleſiæ eſt determinatio divini præcepti ad certum tempus: at nemo dixerit, ſacrilega confeſſione divinum præceptum impleri; cum Deus veram ſinceramque pœnitentiam cum confeſſione omnium mortalium peccatorum, & cum eorum imperfecta ſaltem contritione præcipiat.

Deinde, confeſſio ſacrilega non eſt vera, & valida confeſſio, nec fideliter facta: Eccleſia autem in citato cap. *Omnis* præcipit, ut Fidelis quilibet, cum ad diſcretionis annos pervenerit, *fideliter* confiteatur. Tum inſuper jubet Eccleſia, ut Fideles ſemel ſaltem in anno ſa-

ſacramentum confeſſionis accedant: ſed confeſſio voluntarie invalida non eſt ſacramentum, ſed ſacrilegium: ergo qui ſic accedit, Eccleſiaſtico præcepto non ſatisfacit; imo ulterius execrandi ſacrilegii reus evadit. Merito itaque Alexander VII. die 24. Septembris anno 1665. theſim hanc 14. proſcripſit: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Dubium v. Num qui per annum venialia tantum peccata commiſit, teneatur vi præcepti Eccleſiaſtici eadem confiteri?

Reſp. diviſos hac in re eſſe Theologos: Seraphici tamen Doctoris nobis arridet opinio, qui id affirmat in 4. d. 17. p. 2. a. 2. q. 1. ac triplicem faciendæ hujuſmodi confeſſionis rationem adducit, inquiens: „ Prima eſt univer„ ſalis indigentia: Omnes enim peccaverunt, „ & egent gloria Dei: non eſt enim qui fa„ ciat bonum, & non peccet: ideo Deum de„ bet quilibet glorificare confitendo ſe pecca„ torem. Qui enim ſe peccatorem confitetur, „ Deum glorificat, oſtendens ſe Dei gratia, & „ miſericordia indigere. Secunda ratio fuit ſa„ cræ communionis reverentia, quia omnes „ tenentur in Paſcha communicare, tam perfe„ cti, quam alii: & tunc, quia Agnus Paſcha„ lis cum ſolemnitate manducandus eſt, ut „ mundi eſſent manducantes, & dignum opor„ tuit remedium præmitti probationis, & pur„ gationis; & hoc quidem eſt in confeſſione „ peccati. Tertia ratio fuit diſcretio gregis „ Dominici, ne lupi abſconderentur in grege, „ qui manducarent agnos; ideo inſtitutum eſt, „ ut vultus conſcientiarum ſuarum Sacerdoti-

„ bus

„ bus oſtenderent : & ne hæretici palliarent „
„ & ſub pelle innocentiæ ſe abſconderent ,
„ omnibus , quantumcunque ſint innocentes ,
„ præceptum eſt confiteri . “ Poteſt denique alia adjungi ratio, quod nimirum Paſtores nunquam (uti tamen Lateranenſis Canon jubet) mulctare poſſent excommunicatione Fideles, qui nec ſemel in anno, nec per multos annos, ad ſacramentum confeſſionis accederent, cum prætendere illi poſſent ſe lethalium ſcelerum conſcientiam non habere. Hæc etiam ſententia eſt S. Thomæ in q. 6. ſuppl. a. 3. licet ibidem ad 3. argumentum videatur oppoſitum defendentes (quos inter eſt Ven. Scotus in 4. d. 17.) minime improbare. Lege quæ hoc in libro ſcripſimus c. 6.

Dubium vi. Utrum Eccleſiaſtico præcepto annuæ confeſſionis ſatisfaciat , qui Confeſſario cuilibet approbato, licet non ſit Parochus, confitetur?

Reſp. Cum Lateranenſe Concilium decreverit, ut omnis utriuſque ſexus Fidelis, omnia ſua peccata confiteatur *proprio Sacerdoti*, ac inſuper addiderit: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit , juſta de cauſa , ſua confiteri peccata , licentiam prius poſtulet , & obtineat a proprio Sacerdote , cum aliter ille ipſum non poſſit ſolvere, vel ligare ;* oritur hic quæſtio , an idem Concilium *proprii Sacerdotis* nomine ita Parochum intellexerit, ut huic tantum, non autem alteri, Epiſcopi licet approbatione ſuffulto, fas ſit Paſchali tempore confiteri?

Negant id inter alios Launojus, Juenin , & Van-Eſpen , contra quos communiter alii licitum id eſſe ſic probant : 1. Epiſcopi in Diœce-

ceſis ſuæ Parochiis plenam habent auctoritatem, & quidem ampliorem, quam Parochi habeant, atque ad Epiſcoporum nutum omnia in Eccleſiis gerenda ſunt, ex cap. *Sic quidam*, x. 1. & ex cap. *Cunctis fidelibus*, xvi. 1. Si igitur juxta Lateranenſem Canonem poſſumus in Paſchate confiteri alieno Sacerdoti, id permittente *Sacerdote proprio*, nempe, ut adverſarii contendunt, *Parocho*; multo id magis fieri poteſt Epiſcopo permittente.

II. In eodem canone ille dicitur *proprius Sacerdos*, ſine cujus licentia Confeſſarius non poteſt aliquem ſolvere, vel ligare: Atqui Epiſcopi in ſua Diœceſi licentiam a Parocho petere non tenentur: quis enim dixerit Apoſtolum a diſcipulo, & ſuperiorem Hierarcham ab inferiori pendere? Igitur Epiſcopi ſunt *proprii Sacerdotes*, qui poſſunt in Parœciis confeſſiones audire, aliiſque facultatem illas audiendi concedere.

III. Ex adverſariorum ſententia ſequitur, Epiſcopum eſſe *Sacerdotem proprium* relate tantum ad ſacramenta Confirmationis, & Ordinis, atque ad caſuum reſervationem; immo & hoc poſtremum eſſe Epiſcopo denegandum, quoniam caſuum reſervatio ex ligandi ſolvendique poteſtate deſcendit. Hoc autem ſi dicatur, jus Epiſcopale violatur ac læditur, atque ex uno abſurdo ſequitur alterum, videlicet, nec ſatiſfactum iri canoni, *Omnis utriuſque, &c.* etiamſi quis Diœceſano Epiſcopo confiteretur.

IV. Romanorum Pontificum Conſtitutionibus hoc idem adſtruitur. Nam Joannes XXII. anno 1321. Conſtitutione quæ incipit, *Vas electionis*, inſerta lib. 5. Extrav. comm. tit. de hære-

hæreticis, damnavit hanc Joannis de Poliaco propoſitionem : *Confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti ;* necnon alteram, *Stante, Omnis utriuſque ſexus edicto in Concilio generali, Romanus Pontifex non poteſt facere quod Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem conſtat eſſe Parochialem Curatum*. Qui igitur affirmant eos, qui Paſchali tempore confitentur Regularibus, quibus Romani Pontifices, ſi ab Epiſcopis approbati ſint, innumeris ampliſſimiſque Conſtitutionibus declararunt ineſſe poteſtatem jurisdictionis, tranſgredi Canonem præcitatum ; ii Joannis de Poliaco errorem inſtaurant, ut ajebat Benedictus XIV. in Notificatione edita anno 1733. die 21. Martii, antequam in Petri cathedra ſederet.

Item Leo X. Conſtitutione, *Dudum intra mentis arcana*, a Lateranenſi Concilio approbata in ſeſſ. XI. de Regularibus ita loquitur : *Poſſint illi per Epiſcopos & Prælatos ſuper ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem ejuſdem ſacramenti peritia dumtaxat examinari ; talibuſque præſentatis, admiſſis, vel etiam indebite recuſatis confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit,* Omnis utriuſque ſexus, *quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſeantur*. Hujus autem Conſtitutionis ea tantum pars abrogata invenitur, quæ ſpectat ad ea verba, *Vel etiam indebite recuſatis*.

Rurſus, Clemens VIII. fervente diſcordia inter Regulares, & Parochos Cameracenſes, & Atrebatenſes anno 1592. ita ſtatuit : *Præſenti de-*

decreto ſancimus, licere ſæcularibus Chriſtifidelibus univerſis libere Miſſas audire &c. & tam dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis Jeſu, quam aliis privilegiatis prædictis, quibus id á Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam Quadrageſimali, & Paſchali, & quovis alio tempore, confiteri licite poſſe; dummodo tamen iidem ſæculares Chriſtifideles ſacramentum Eucbariſtiæ, die feſto Paſchalis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant. Hoc idem denique decreverunt Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. aliique Romani Pontifices; necnon plures etiam Gallicanæ Synodi, utputa Nemauſenſis anno 1284. Lingonenſis anno 1452. Toloſana anno 1530. Rothomagenſis anno 1581. Aquenſis anno 1585. Cameracenſis anno 1586. aliæque quamplures. Quapropter falſo aſſerit Juenin, contrarium a Gallicana Eccleſia ſervari, cujus diſciplinæ Romanos Pontifices ſupra laudatos inferre præjudicium noluiſſe. Lege S. Thomam in q. 8. ſuppl. a. 5. & S. Bonaventuram in 4. d. 17. p. 3. a. 1. q. 2. ex recentioribus autem P. Berti in lib. 34. p. 2. c. 6. & Gotti in tract. 9. de pœnit. q. 7. dub. 2. §. 4. &c.

CA-

CAPUT X.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

COmpertum eſt omnibus, hujus Sacramenti formam in illis conſiſtere verbis, per quæ Sacerdos a peccatis pœnitentem abſolvit. Cum vero plura ſint verba, quæ idem Sacerdos in ſacramentali abſolutione pronunciat; videndum modo eſt, quænam ad ejus eſſentiam præciſe pertineant; ita, ut abſolutio nulla ſit, ſi ea minime proferantur.

Conſentiunt Theologi omnes antecedentia verba illa, *Miſereatur tui*, *&c.* &, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, &c.* necnon ea ſequentia, *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c.* ad abſolutionis eſſentiam non ſpectare, ſed eſſe ſolum preces congruas, utileſque ad divinam miſericordiam implorandam. Quæſtio itaque circa ea tantum verba verſatur, *Ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Qua in re Paludanus aſſeruit præter illa vocabula, *Abſolvo te*, hæc etiam alia, *A peccatis tuis*, ad formæ eſſentiam pertinere. Gabriel inſuper iiſdem verbis neceſſario addendum exiſtimat adjectivum, *omnibus*, ita, ut dicendum ſit: *Abſolvo te ab omnibus peccatis tuis*. Putat Durandus eas etiam voces, *In nomine Patris, &c.* neceſſario proferendas. Dominicus autem Soto hoc tantum verbum, *Abſolvo*, ſpectare ad eſſentiam arbitratur. Alii de-

denique Theologi communiter tenent, hæc duo vocabula, *Abſolvo te*, ad valorem formæ ſufficere.

Propoſitio 1. Dicendum probabilius videtur, quod ea tantum verba, *Abſolvo te*, eſſentiam formæ conſtituant.

Probatur. Ea dumtaxat verba eſſentiam formæ hujuſce ſacramenti conſtituunt, per quæ principalis ejuſdem ſacramenti effectus oſtenditur; novæ enim legis ſacramenta id efficiunt, quod ſignificant: atqui ea ſolum verba, *Abſolvo te*, hoc præſtant; nam cum effectus ſacramenti Pœnitentiæ ſit remiſſio peccatorum, id ſufficienter exprimitur per ea verba, *Abſolvo te*, dum in confeſſionis circumſtantia proferuntur: ſicuti ſcilicet verba illa, *Baptizo te*, prolata in circumſtantia Baptiſmi ſignificant ablutionem, non a quacunque ſorde, ſive peccato, ſed ab originali, & etiam actuali ante Baptiſma commiſſo.

Hoc inſuper demonſtratur ſingulas percurrendo formæ particulas. Pronomen enim *Ego* in verbo *Abſolvo* comprehenditur, ut alibi diximus de forma Baptiſmi, idemque pronomen in forma Confirmationis minime pronunciatur. Hæc quoque verba, *A peccatis tuis*, eſſentialia non eſſe videntur; quoniam dum pœnitens poſt peccatorum confeſſionem abſolvitur, ab iiſdem utique peccatis abſolvi ſatis ſuperque monſtratur: unde conſequitur etiam neceſſario apponendam non eſſe particulam illam, *Ab omnibus*; præſertim quia cum fieri non poſſit abſolutio ab uno mortali peccato, quin fiat ab omnibus, particula illa ſubintelligitur, etiamſi minime exprimatur; pro venialibus autem omnibus

bus abſolutio non ſemper impenditur. Hinc in Rituali Romano edito juſſu Pauli V. vox illa non legitur. Præterea, expreſſio, ſeu invocatio SS. Trinitatis eſſentialiter non requiritur; cum id neque ex Scriptura, neque ex Traditione probetur. Quod vero præter verbum, *Abſolvo*, oporteat addere pronomen illud *Te*, inde patet, quia ſublato eo pronomine oratio vaga & ambigua remanet, neque demonſtrativum ſenſum includit: abſolutio autem eſt pronunciatio ſententiæ judicialis, in qua neceſſario exprimenda eſt perſona delinquens, accuſata, & convicta, quæ debet abſolvi.

Oppones 1. Non valet Baptiſma ſine diſtincta SS. Trinitatis invocatione collatum; ergo neque ſacramentum Pœnitentiæ valet, niſi illud addatur, *In nomine Patris, &c.* Et ſane Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 3. docet, *ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo, &c. quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.* Adjungens autem Synodus illud, *&c.* non obſcure ſignificat expreſſam Trinitatis invocationem ad formæ eſſentiam neceſſario pertinere.

II. Si neceſſario exprimenda non ſunt peccata, a quibus abſolutio datur, neque perſona quæ abſolvit; cur exprimenda eſt perſona, cui abſolutio ipſa confertur? Sicut enim ex circumſtantiis determinatur illud, *Abſolvo*, ut remiſſionem denotet peccatorum; ita ex iiſdem circumſtantiis, & a proferentis intentione deter-

terminari poteſt idem verbum ad denotandam perſonam quæ abſolvitur, quin pronomen illud *Te* neceſſario adjiciendum eſſe dicatur.

Reſp. ad 1. diſcriminis rationem eſſe, quod in Baptiſmate, non autem in Pœnitentia, profiteamur fidem, quæ præcipue in Trinitatis confeſſione conſiſtit, ut patet ex Symbolo. Unde quum Chriſtus baptizandi munus injunxit Apoſtolis, SS. Trinitatis invocationem expreſſe præcepit, inquiens Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* id autem non edixit, quum Joan. 20. tribuit facultatem, ut peccata poſt Baptiſmum commiſſa remitterent. Tridentini autem, ſicut & Florentini Patres, ut indicarent nolle ſe de hujuſmodi quæſtionibus aliquid definire, ſed eas Scholaſticorum arbitrio relinquere diſputandas, conſulto addiderunt illud, *& cetera*.

Ad 2. Peccata ſunt materia removenda, quæ non neceſſario apponi debet in forma, vel ſententia judicis, cum ſatis id ex circumſtantiis indicetur; ita nec in forma Baptiſmatis ponitur a qua ſorde mundemur. Satis etiam ac neceſſario perſona quæ abſolvit oſtenditur, dum *in recto* profertur, *Abſolvo*; at in eodem verbo perſona quæ abſolvitur nullatenus continetur.

Hic autem adnota, quod cum ex dictis in lib 24. c. 4. mutatio formæ, niſi ſenſum locutionis immutet, non reddit irritum Sacramentum.; profecto conſequitur, valere abſolutionem, ſi quis diceret, *Remitto*, vel, *Condono tibi peccata tua;* aut imperativo modo proferret, *Abſolvaris*, aut ſi auctoritatis indicandæ cauſa diceret in plurali, *Nos te abſolvimus:*

pec-

peccaret tamen Sacerdos a præſcripta forma recedens, ut diximus in ejuſdem libri c. 19.

Dubium vero eſt, num abſolutio valeat, ſi per deprecativam verborum formulam conferatur? Ita Theologi plures ſentiunt affirmantes formam ſacramentalis abſolutionis deprecativam in Latina Eccleſia uſque ad medietatem ſeculi XIII. obtinuiſſe, & etiamnum in Eccleſia Græca vigere. Pro hac ſententia pugnant inter alios Morinus, Juenin, Tournely, Gotti, &c. At Fraſſen, Boucat, aliique non tantum aſſerunt ab utraque Eccleſia non niſi indicativam in abſolvendo formam uſurpatam fuiſſe, & hactenus uſurpari; verum inſuper cum S. Thoma in Opuſculo 22. contendunt, invalidam eſſe ſacramentalem abſolutionem deprecativis verbis expreſſam. Alii denique cum P. Berti propugnant, aperte non evinci, quod olim apud Latinos, Græcoſque viguerit, aut modo apud eoſdem Græcos vigeat deprecativa abſolutionis forma: quæ tamen, etſi viguiſſe concederetur, non eſt ita congrua & idonea, uti eſt indicativa, quæ in Latina Eccleſia uſurpatur.

Propoſitio 2. Potuit Chriſtus abſolvendi virtutem deprecativæ formæ tribuere: nulla autem firma ratione colligitur, quod reipſa tribuerit. Ceterum indicativa forma aptior eſt, ut poteſtas clavium, & judicialis actus in Sacramento Pœnitentiæ deſignetur.

Probatur 1. pars. Judicialis actus, præſertim in Miniſtro Pœnitentiæ, ex ſeſe ac neceſſario non requirit, ut indicativo modo, abſolutiſque terminis exprimatur, ita quod deprecativa loquendi formula nullam cenſenda ſit habere poſſe virtutem. Nam 1. Sacerdos in tribunali

Pœnitentiæ non propria, neque ſuprema, ſed miniſteriali ac precaria auctoritate judicium agit; adeoque tacitam ſaltem orationem effundit, qua Dei virtutem invocat, exoratque, ut quod ipſe facit, ratum habere dignetur: 2. etiam in pronuncianda excommunicatione actus judicii exercetur: at conſentiunt omnes, poſſe illam aliis, quam indicativis verbis efferri: 3. demum, ex quo Chriſtus Apoſtolis eorumque Succeſſoribus poteſtatem contulerit ut a peccatis abſolverent, neceſſario non infertur eandem poteſtatem indicativis abſolutiſque verbis eſſe exercendam: nam Matth. 10. v. 1. *dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*: hæc autem poteſtas precibus etiam & oratione poteſt in actum exire; idipſum igitur de poteſtate abſolvendi per deprecativam formulam affirmare nil vetat: quamquam dicendum omnino eſt, quod ejuſmodi formula, non per modum impetrationis communem ceteris precibus, ſed ex opere operato juxta Chriſti inſtitutionem peccata remitteret, atque ita judicialem actum includeret.

Probatur 3. pars, nam 2. pars ex objectorum ſolutione patebit. Deprecari & orare, proprie intimeque loquendo, non eſt exercere judicis auctoritatem, ſed eſt potius impetrantis & ſupplicantis officium. Cum ergo ſacramentalis abſolutio, ut infra dicetur, ſit actus judicialis, indicativo vel imperativo modo aptius quam deprecativo profertur. Hinc Chriſtus non dixit, *Quorum peccata remitti petieritis*, ſed, *Quorum remiſeritis peccata*. Generalia quoque Concilia, Florentinum ſcilicet & Tri-

Tridentinum, hanc unam indicativam formulam præſcripſerunt: *Ego te abſolvo*. Præterea, licet ex communi Eccleſiæ praxi Sacerdos ea verba præmittat, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*, non tamen abſolvit; alioquin fruſtra indicativam formam adjungeret, *Ego te abſolvo*; nec recte Tridentina Synodus ſtatuiſſet priora verba nequaquam *ad formæ eſſentiam* pertinere, uti ſupra notavimus. Non ergo ſacramentalis abſolutio in oratione ac prece conſiſtit; proindeque congruentius indicativo, quam deprecativo modo profertur. Cui quidem aſſertioni firmius robur accedit ex eo, quod, uti in citato Opuſculo 22. ſcribit S. Thomas, *Pariſienſes Magiſtri communi ſententia decreverunt abſque his verbis*, Ego te abſolvo, *abſolutionem non fieri*.

Objicies 1. Ubique Patres affirmant, Sacerdotes non aliter, quam per orationem peccata dimittere. Ut enim de aliis ſileamus, S. Ambroſius in lib. 3. de Spiritu Sancto c. 18. ſcribit: *Homines in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent. Neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine peccata dimittunt. Iſti rogant, Divinitas donat*.

Hieronymus in Pſal. 28. ad ea verba, *Vox Domini intercidentis flammam*, ait: *Quotidie in unoquoque noſtrum flammam libidinis per confeſſionem, & gratiam Spiritus Sancti intercidit; id eſt, per orationes Sacerdotum facit ceſſare*.

Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo c. 16. inquit: *Manus impoſitio*, quæ ſupra pœnitentes fieri ſolebat, *non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt. Quid enim eſt aliud, niſi oratio ſuper hominem?*

Denique S. Leo in epiſt. 82. alias 91. ſcribit: *Indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequit obtineri*. Et poſt pauca: *Multum utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur*. Plura etiam alia Patrum teſtimonia poſſunt adduci, ex quibus aperte colligitur, deprecativam formam antiquitus apud Latinos in uſu fuiſſe, atque hanc aptiorem dicendam eſſe, quam indicativam.

Reſp. ſacramentalem abſolutionem idcirco a SS. Patribus appellari orationem, precem, ac ſupplicationem, quia ejus verba a Sacerdote pronunciantur cum intentione conferendi ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, & virtualiter ac implicite continent divinæ potentiæ invocationem: quo in ſenſu aliorum etiam ſacramentorum formæ ab iiſdem Patribus aliquando orationes, preceſque vocantur. Lege quæ ſcripſimus lib. 28. c. 5. ad 2. objectionem. Quod ſi cenſuiſſent Patres Sacerdotem invocare tantum, orare, precari; profecto non affirmaſſent, eundem Sacerdotem, dum abſolvit, judiciaria poteſtate perfungi. Deinde cum ipſorum Patrum ſententia fuerit, vulganda non eſſe arcana fidei, ac præſertim ſacramentorum formam, ut docet Innocentius I. in ſua ad Decentium epiſtola c. 3., illud etiam negare poſſumus, in antiquiorum Patrum teſtimoniis agi de forma ſacramentali, non autem de ceremoniali abſolutione, precibuſque cum impoſitione manuum ſuper ſubſtratos effuſis. Poſtremo Patrum oculis obverſabatur hæreticorum impietas & arrogantia, eorum maxime, qui negabant Spiritus Sancti divinitatem, & pecca-

catorum remiſſionem probitati ſuæ ac fidei tribuebant; ideoque hujus farinæ homines refellendo dixerunt, Sacerdotes non exercere jus, ſed miniſterium exhibere, dum peccata dimittunt; id eſt, Chriſti eſſe miniſtros, non propria præditos poteſtate, ſed liberali munere decoratos.

Obtrudunt inſuper oppoſitæ opinionis Patroni antiqua quædam Pontificalia, libroſque liturgicos, ex quibus demonſtrare conantur apud Latinos quondam non niſi deprecativam formulam viguiſſe. Verum in libris illis pertractari videtur de pœnitentium Reconciliatione, non ſacramentali, ſed canonica, qualis fieri conſuevit feria v. majoris hebdomadæ: complures enim hunc ipſum titulum, *De Reconciliatione Pœnitentium fer. v. majoris hebdomadæ*, præfeferunt. Deinde cum libri illi deſcribant ritum valde prolixum, pſalmis, pluribuſque orationibus conſtantem, eaſdemque preces frequentiſſime repetant; ceremoniam potius ſonant, quam ſacramentalem formam, quæ brevis eſſe ſolet, & definita, nec repetenda ullatenus eſt, niſi & ſacramenti materia repetatur. Quid quod non pauci ex iiſdem libris aut indicativam formulam continent, aut judicialem actum ad inſtar indicativæ formulæ comprehendunt? Lege eruditiſſimum P. Berti in p. 2. lib. 34. c. 7. propoſ. 1.

Objicies 2. Valuiſſe olim, & etiamnum valere apud Græcos formam ſacramentalis abſolutionis deprecativis verbis expreſſam, in dubium revocari non poteſt. Quotquot enim extant veteres recentioreſque Græcorum rituales libri non aliam continent quam deprecantem

 for-

formam, quæ ita apud Goarium incipit: *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, relaxa; remitte, condona peccata, &c.* uti in Euchologio pag. *mihi* 536. Conſtat id etiam ex Inſtructione Clementis VIII. anno 1595. ſuper Græcorum Ritibus, ubi hæc leguntur: *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in Generali Concilio Florentino præſcripta; & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.* Ex quibus apparet ante hanc Inſtructionem nunquam apud Græcos indicativam formulam obtinuiſſe, ac cenſuiſſe Pontificem, quod valida ſit deprecativa forma, quam Græci in Græcis abſolvendis uſurpant.

Reſp. adverſarios accurate non legiſſe Goarium, ejuſque Euchologium: ibi enim pag. 540. ita poſt precationes adjungitur: *Inſuper ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcunque confeſſus es coram Deo, & coram indignitate mea*: & paulo infra in alia oratione: *Ego vero condono tibi omnia peccata tua*. Quæ certe indicativam abſolvendi formulam evidenter includunt. Menardus etiam in Sacram. Gregorii teſtatur Græcos poſt illas preces verba iſta proferre, *Habeo te venia donatum*; formamque indicativam probaſſe Gabrielem Philadelphienſem, & nunc quoque retinere Ruſſos, Ruthenos, alioſque Græcorum haud obſcure demonſtrat Arcudius lib. 4. Concordiæ c. 3. qui etiam affirmat, a nonnullis quidem Græcis adhiberi tantum ſupplicationes, verum eos a Majorum inſtitutis eſſe degeneres, nequaquam abſolvere,

& om-

& omnino curandum eſſe, ut precibus addant verba, quæ plane exprimant ſententiam judicialem, ut exprimitur in forma, quam Latina uſurpat Eccleſia.

Tandem idcirco Græcis illis, pro quibus edita eſt laudata Inſtructio, præſcripta fuit forma Florentini Concilii, quoniam deprecativa, quam adhibebant, minime valida cenſebatur. Nam ſi valida erat, cur Romanus Pontifex Latinam indixit, & cum Latina permiſit etiam antea uſitatam? Non eſt autem conſequens: Hi Græci, quos Clemens inſtruxit, ſola deprecatione utebantur; idem ergo faciebant Græci omnes: ſicuti non conſequitur: Græci quidam arbitrabantur Euchariſtiam precibus conſecrari; hæc igitur eſt, fuitque ſemper omnium Græcorum opinio. Ex his itaque remanet demonſtratum, quod in ſecunda præcedentis propoſitionis parte aſſertum eſt.

Nunc vero præſtat, ut adverſus hæreticos de ſacramentalis abſolutionis virtute loquamur. Cum enim illi aſſerant non alicujus ſacramenti efficacia, nec Sacerdotum poteſtate, ſed ſola fide peccata dimitti; ad quam fidem excitandam dirigantur verba omnia, quæ in ſacramentis adhibentur; conſequenter affirmant abſolutionem Sacerdotis polliceri dumtaxat peccatorum remiſſionem, & declarare atque enunciare peccata non amplius imputari.

Propoſitio 3. Sacramentalis abſolutio non declarat tantum peccata eſſe dimiſſa, ſed illa vere proprieque coram Deo dimittit.

Probatur ex Joan. c. 20. ubi Chriſtus Apoſtolis ait, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; moxque inſufflato in eos Spiritu Sancto

ſubjungit, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Quibus ſane verbis teſtatur Dominus ſe eam poteſtatem dare Diſcipulis, eorumque legitimis ſucceſſoribus, quam ipſe a Patre acceperat: ſicut ergo Chriſtus non tantum declarabat aut annunciabat peccatorum remiſſionem, ſed illam vere ac proprie conferebat, dicens paralytico & peccatrici, *Remittuntur tibi peccata tua*, quemadmodum contextus Evangelicus, ac murmur Scribarum & Phariſæorum ſatis luculenter oſtendunt: ita & Apoſtoli poteſtatem acceperunt vere ac proprie remittendi peccata, ut ſimiliter dicere poſſent peccatoribus ad pœnitentiam converſis ſe illis peccata remittere, eoſque a peccatis abſolvere; tali dumtaxat ſervato diſcrimine, quod Chriſtus ut Deus propria auctoritate peccata remiſerit, & ut homo ad eadem remittenda, ſicut & ad alios ſacramentales eff ctus, poteſtatem habuerit miniſterii principalis; Apoſtoli vero ſecundarii tantum miniſterii poteſtatem acceperint. Verumtamen ſicut ad effectum Baptiſmi nihil intererat, utrum Chriſtus per ſe, an vero per Apoſtolos baptizaret; quia ſemper verum erat illud, *Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto*; & ſicut non minus mundabatur a lepra, quem Apoſtolus accepta a Chriſto poteſtate mundum eſſe juberet, quam quem per ſeipſum Chriſtus mundaret, & ita in ceteris miraculis contingebat; quia nimirum per Apoſtolos Chriſtus operabatur: ad eundem prorſus modum, non minus conſequebatur remiſſionem peccatorum is, cui Apoſtolus mandato Chriſti, quam cui Chriſtus per ſe diceret, *Remittuntur tibi peccata*,

cata, vel, *Ego te abſolvo a peccatis tuis*; Chriſto videlicet hoc idem agente per Apoſtolum tanquam vicarium ſuum, quod in Evangelio feciſſe legitur per ſeipſum.

Idem quoque dogma invicte monſtratur ex Patribus, qui paſſim afferunt Sacerdotem prius quam Deum peccata remittere, & a Deo approbari ac ratum haberi quod per Sacerdotem efficitur. Cyprianus enim in epiſt. 57. al. 54. ſcribit: *Nec enim fas erat Eccleſiam pulſantibus claudi, quando permiſerit ipſe qui legem dedit, ut ligata in terris, & in Cælis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur.* Et Hilarius in c. 16. Matth. *O beatus Cæli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in Cælo, ut quæ in terris aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in Cælo.* Item Chryſoſtomus hom. 5. de verbis Iſaiæ: *A terra judicandi principalem auctoritatem ſumit Cælum. Nam judex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum, & quidquid hic in inferioribus judicavit, hoc ille in ſupernis comprobat.* Similiter Leo M. ſerm. de Transfigur. Domini inquit: *Nec in ligandis, aut ſolvendis quorumcunque cauſis aliud ratum eſſet in Cælo, quam quod Petri ſediſſet arbitrio.* Illuſtre denique eſt Bernardi non ſemel a nobis repetitum effatum ex ſerm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, *quod ſententia Petri præcedit ſententiam Cæli.* Ex quibus evidens iſtud argumentum elicimus: Ea peccata non declarantur tantum dimiſſa eſſe, ſed & vere proprieque a Sacerdotibus dimittuntur, quæ ante horum ſententiam non ſunt

a Deo

a Deo dimiſſa: atqui juxta Patrum doctrinam peccata non dimittuntur a Deo ante ſententiam Sacerdotum: ab his ergo peccata vere ac proprie dimittuntur.

Dictis accedit & ratio. Novæ enim legis ſacramenta, e quorum numero Pœnitentia eſt, gratiam ex opere operato producunt. At ſi ſacramentalis abſolutio vim dumtaxat haberet declarandi peccata eſſe dimiſſa, Sacramentum Pœnitentiæ vi ſua gratiam non produceret, ſed productam ſolummodo declararet: nam gratia hujus Sacramenti propria conſiſtit in peccatorum remiſſione, & pœnitentis reconciliatione cum Deo; quam tamen gratiam ſacramentalis abſolutio non conferret.

Deinde, ſi Sacerdos non abſolvit, ſed tantum abſolutum oſtendit; non ergo pœnitenti aperit Cœlum, ſed apertum dumtaxat oſtendit, ac proinde vere claves ad aperiendum non accepit a Christo. Nam verus & legitimusque clavium uſus non eſt clauſum vel apertum oſtendere, ſed reipſa claudere & aperire.

Poſtremo, nil vetat, ut abſolutionis oſtenſio ſive declaratio fiat per quemcunque doctum etiam laicum, nullaque juriſdictione munitum; imo & hoc pacto quiſque doctus poterit ſeipſum abſolvere, quia per ſeipſum ſatis intelliget abſolutum ſe eſſe coram Deo, idque certius quam per alium quemlibet Sacerdotem.

Patet itaque merito Tridentinam Synodum contra Novatores ſeſſ. 14. hunc IX. canonem ſtatuiſſe: *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti,... anathema ſit.* Obji-

Objicies 1. Abſolutio quæ ſupponit pœnitentem jam vita gratiæ viventem, & a peccatis abſolutum per contritionem & confeſſionem, non vere peccata dimittit, ſed ſolum dimiſſa declarat: atqui hujuſmodi eſt ſacramentalis abſolutio, uti duplici demonſtratur exemplo quo SS. Patres frequenter utuntur. Conſtat enim, Chriſtum prius mundaſſe leproſos, quam illos mitteret ad Sacerdotes; ac prius ſuſcitaſſe Lazarum, quam juberet ut ab Apoſtolis ſolveretur.

Reſp. negando minorem. Ad 1. vero exemplum dicimus Evangelicos Sacerdotes præferendos eſſe Judaicis; ut enim inquit Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio c. 6. *corporis lepram purgare; imo potius nullatenus purgare, ſed purgatos probare tantum, Judæorum Sacerdotibus licebat . . . Hi vero*; novæ ſcilicet legis Sacerdotes, *non lepram corporis, ſed immunditiam animæ, non purgatam probandi, ſed prorſus purgandi poteſtatem acceperunt*. In eo autem quædam ſimilitudo conſiſtit, quod ſicut Levitici Sacerdotes non niſi eos, qui vere liberati eſſent a lepra, legaliter mundare debebant, ideſt exterius reconciliare populo, ut poſſent inter alios converſari; ita Evangelici Sacerdotes non niſi eos, qui depoſita voluntate peccandi vere converſi ſunt, ſpiritualiter mundare poſſunt, ideſt Deo reconciliare, ut ſoluto gehennæ reatu inter Dei filios, & Regni cœleſtis hæredes valeant recenſeri. Nam ſi hominem nondum a peccato recedentem, præviiſque diſpoſitionibus non inſtructum abſolvendo mundare tentaverint, profecto nihil efficient.

In-

Inſuper ex 2. exemplo potius infertur oppoſitum. Nam Apoſtoli Lazarum a Chriſto reſuſcitatum vere ſolverunt a vinculis, quibus adhuc detinebatur adſtrictus, & non tantum ſolutum oſtenderunt: ergo & Sacerdotes vere ſolvunt peccatorem, qui etſi per pœnitentiam ſit reſuſcitatus a Deo, adhuc tamen æternæ mortis vinculis obligatur. Ex hoc itaque exemplo dumtaxat oſtenditur, oportere, ut in pœnitente præcedant nonnullæ ſpiritualis vitæ diſpoſitiones, quibus moveatur ad odium peccati, & ad melioris vitæ propoſitum, atque ad ſinceram humilemque peccatorum confeſſionem: ita namque contingit, ut pœnitens, qui tantum ſemivivus erat, & adhuc peccatorum vinculis illigatus, pleniore vita fruatur, ſolvatur vinculis, omneſque perfectæ vitæ ſpiritualis motus exerceat: ſicut & Lazarus, licet a Chriſto reſuſcitatus, deambulare tamen, ac viventis hominis operationes liberius obire non potuit, antequam a faſciis, quibus involvebatur, fuerit a Chriſti Diſcipulis expeditus.

Objicies 2. Sacerdos ligando & retinendo peccata ſolummodo declarantis agit officium; non enim ipſe peccatorem damnat, aut vinculo peccati conſtringit: ergo etiam remittendo, ejuſdem rationis munus exequitur.

Reſp. ligationem ſola declaratione non fieri, ſed judiciaria poteſtate. Ligat namque Sacerdos, dum retinet impios divino obſtrictos judicio abſolutionem denegando; & dum iis, quos abſolvit, ſatisfactiones imponit: qua in re *poteſtatem clavium* exerceri declarat Synodus Tridentina ſeſſ. 14. c. 8. Et recte quidem: *Sicut enim*, ſcribit Chryſoſtomus hom. 86. alia 85.

in

in Joan. *rex præfectos mittens, poteſtatem dat ut in carcerem mittant, & ex carcere liberent; ſic Chriſtus illos mittens, hac poteſtate donat.* Lege quæ hac de re ſententiarum Magiſter habet in 4. d. 18.

Objicies 3. Antiquiores nonnulli Scholaſtici, præeunte ſententiarum Magiſtro in lib. 4. d. 18. mox citata dixerunt Sacerdotalem abſolutionem oſtendere dumtaxat peccata a Deo vel dimiſſa eſſe, vel retenta. En verba Magiſtri: *Hoc ſane dicere ac ſentire poſſumus, quod ſolus Deus dimittit peccata & retinet, & tamen Eccleſiæ contulit poteſtatem ligandi & ſolvendi, ſed aliter ipſe ſolvit vel ligat, aliter Eccleſia. Ipſe enim per ſe tantum dimittit peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula, & a debito æternæ mortis ſolvit. Non autem hoc Sacerdotibus conceſſit, quibus tamen tribuit poteſtatem ſolvendi & ligandi, ideſt oſtendendi homines ligatos vel ſolutos: &c.* Cum vero iſthæc opinio reprobata non ſit, perperam ut hæretici traducuntur Novatores idem cum Magiſtro, doctiſſimiſque Scholaſticis aſſerentes.

Reſp. nunquam veteres illos Scholæ Theologos affirmaſſe, aut Pœnitentiam non eſſe verum legis Evangelicæ Sacramentum, aut ſacramentalem abſolutionem *non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat eſſe abſolutum.* Ex his enim damnatis erroribus Novatores traxerunt nefarium dogma quod refutamus. At Scholaſtici illi antiquiores opinantes contritionem charitate perfectam in pœnitente neceſſario prærequiri, ut a Sacerdote valide poſſit abſolvi; ex hoc prin-

cipio

cipio concludebant, pœnitentem jam juſtificatum eſſe per perfectam contritionem, cum ad Sacerdotem abſolvendus accedit, neque alias eſſe Sacerdotis partes, quam ut juridice declaret peccata a Deo eſſe dimiſſa. Unde Magiſter ante objecta verba ſic loquitur: *Nemo vere compungitur de peccato, habens cor contritum & humiliatum, niſi in charitate. Qui autem charitatem habet, dignus eſt vita æterna. Nemo autem ſimul vita & morte dignus eſt. Non eſt ergo tunc ligatus debito æternæ mortis; &c.* Ceterum iidem Theologi affirmarunt abſolutionem non eſſe inanem & otioſam, ſed vel per votum ejus contritionem delere peccata, vel per eandem abſolutionem conferri gratiæ incrementum, remiſſionemque pœnarum.

Cum vero illa Scholæ opinio quæ charitatem perfectam ante abſolutionem putat eſſe neceſſariam, a Tridentino Concilio expreſſe damnata non fuerit, nec conſequenter damnata eſt altera, quæ ex eadem infertur, abſolutionem ſcilicet declarativam eſſe remiſſionis peccatorum jam a Deo conceſſæ; juxta ſcilicet ſenſum a Scholæ Doctoribus explicatum. Ita de Magiſtri opinione ſenſerunt Andreas Vega, Dominicus Soto, aliique.

CAPUT XI.

Num ſacramentalis Abſolutio impendi valide poſſit abſentibus? Ubi & de confeſſione facta per litteras diſputatur.

POſtquam de ſacramentalis abſolutionis forma, & efficacitate tractavimus, hic breviter expendendum aggredimur, an eadem abſolutio conferri per litteras poſſit, ac dirigi ad pœnitentes abſentes; & num confeſſio valeat eodem modo peracta, abſenti ſcilicet Sacerdoti per litteras.

Propoſitio negativa.

Probatur auctoritate Synodi Tridentinæ, quæ in ſeſſ. 14. cap. 2. ait: *Chriſtus Dominus eos, qui ſe poſt baptiſmum crimine aliquo contaminaverint, ante hoc Tribunal tanquam reos ſiſti voluit*. Atqui ſiſti ante tribunal pœnitentiæ idem eſt, ac præſentem reum præſenti Sacerdoti peccata ſua detegere, ut abſolutionem ab illo percipiat. Tam enim apud Jureconſultos, quam apud Grammaticos phraſis iſta, *ſe ſiſtere*, corporalem præſentiam in obvio proprioque ſenſu ſignificat: hinc etiam Lucæ 2. v. 22. legitur: *Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino*.

Idem oſtenditur ex Conſtitutione Clementis VIII. edita anno 1602. die 20. Julii, in qua Sum-

Summus Pontifex præmiſſis Theologorum votis, & re cum S. R. E. Cardinalibus mature ac diligenter conſiderata, *hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras ſeu per internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit. Præcepitque ne deinceps iſta propoſitio publicis privatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Quo ſane Decreto non ſolum illicitam, ſed & invalidam nullamque declarari confeſſionem & abſolutionem inter abſentes, ex eo patet, quod SS. Pontifex nullum prorſus, ne extremæ quidem neceſſitatis, caſum excipiat, quo quæ ſunt valida, licita fiunt, urgente ſcilicet charitatis præcepto de procuranda, quantum fieri poteſt, proximi ſalute per media a Chriſto inſtituta.

Favet præterea huic ſententiæ, quod ſcribit Auctor libri de vera & falſa pœnit. c. 10. exponens ea Chriſti verba dicta leproſis Lucæ 17. v. 14. *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*; inquit enim: *Præcepit Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata; non per nuncium, aut per ſcriptum manifeſtanda: dixit enim: Ora monſtrate, & omnes, non unus pro omnibus, non alium ſtatuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus a Moyſe ſtatutum: ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis: erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis: in hoc enim, quod per ſeipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timo-*

timore offenſi, ſit venia criminis. Leguntur hæc verba etiam in cap. *Quem pœnitet*, de Pœnitentia, diſt. 1. notandumque præterea eſt, librum *de vera & falſa pœnitentia* ſummo loco, & tanquam Auguſtino dignum habitum fuiſſe a Magiſtro ſentent. a S. Thoma, a S. Bonaventura, aliiſque viris doctrina præclaris. Ea inſuper interpretatio commendatur a Synodo Nemauſenſi anno 1284. quæ inter cetera confeſſiónis præcepta, hoc quoque recenſet: *Item non debet confiteri per nuncium, nec per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio; & præſentialiter, ut qui per ſe peccavit, per ſeipſum confiteatur, & erubeſcat*.

Id ipſum pariter ex ratione deducitur. Nam confeſſio talis eſſe debet, per quam Sacerdos certior reddatur, pœnitentem revera peccata, quæ retegit, perpetraſſe, eorumque dum abſolvitur pœnitere, & in emendationis propoſito perſeverare: id vero in confeſſione per litteras nequit haberi, quoniam litteræ illæ poſſunt eſſe confictæ; & ſi veræ ſunt, poteſt pœnitens negare a ſe fuiſſe conſcriptas; ac ſi id fateatur, in illo temporis intervallo, quo litteræ mittuntur, poteſt a propoſito melioris vitæ recedere. Ipſa denique abſolutionis verba commonſtrant perſonam ſolvendam, eamque præſentem oſtendunt: proindeque ſicuti Sacerdos abſentem hominem baptizare non poteſt, ita neque poteſt abſolvere.

Quæ hactenus dicta ſunt, ſi recte conſiderentur, evincunt, confeſſionem per litteras factam, & abſolutionem abſentibus miſſam, ex ſui natura, & ex ipſa ſacramenti Pœnitentiæ inſtitutione nullam irritamque eſſe, & non ex

ſola Clementis VIII. Conſtitutione, uti Morinus cum quibuſdam aliis Theologis affirmavit, quorum hic rationes excutiendas adjungimus.

Objicies 1. Sacramenta novæ legis ex ſui natura non exigunt, ut præſentibus tantummodo conferantur; nam matrimonium valide contrahitur inter abſentes. Neque ſacramentum Pœnitentiæ ex ſua ſpeciali ratione præſentiam pœnitentis, ac Sacerdotis expoſtulat; adminiſtratur enim per modum judicii: at judicium poteſt etiam inter abſentes exerceri; uti conſtat exemplo forenſium cauſarum, & abſolutionis ab excommunicatione, aliiſque cenſuris. Hinc in cap. *Qualis*, xxx. q. 5. præcipitur confeſſionem adulteræ per ſcripturam eſſe recipiendam.

Reſp. quod etſi juxta probabilem opinionem, quam in lib. 30. c. 4. tradidimus, poſſit matrimonii ſacramentum ab abſentibus celebrari, non tamen de Pœnitentia eodem modo dicendum eſt. Cujus rei potiſſima ratio ſumenda eſt ex Chriſti inſtitutione, quam circa Pœnitentiam manifeſtavit Eccleſia: deinde idcirco inter alia ſacramenta ſolum eſt matrimonium quod poteſt inter abſentes iniri, quia ipſum ſolum eſt, quod fundatur in contractu, cujus natura, ſicut & forma, phyſicam contrahentium præſentiam neceſſario non requirit.

Neque ſacramentale judicium eadem ratione procedit, quo ſeculare judicium exercetur; alioquin poſſet Sacerdos unum peccatum ſine alio ſolvere, & abſolutionem non confitenti concedere, ac etiam ſine ullo emendationis propoſito peccata remittere. Cum itaque ſacramen-

mentalis abſolutio non ſit actio tantum reconcilians hominem in foro externo, ſed effectrix, ac mundans interius; idcirco requirit, ut Sacerdos moralem habeat certitudinem de interiori affectione ac præſenti ſtatu ejus, cui beneficium abſolutionis impendit: dum vero abſens eſt pœnitens, quantumvis ſcripto diſpoſitionem ſuam fuerit proteſtatus, poteſt ab illa mutari, idque a Sacerdote neſciri.

Excommunicatio, licet feratur ob peccatum & contumaciam, eſt tamen Eccleſiaſtica cenſura ſeparans a communione, & a participatione ſacramentorum, nec peccatum eſt, ſed pœna peccati: ideoque ad abſolutionem ab hac, aliiſque cenſuris non requiritur quidquid neceſſarium eſt ad abſolutionem a culpa, & impendi poteſt non tantum abſentibus, verum etiam defunctis; quod nemo dixerit de ſacramentali abſolutione a peccatis.

In cap. *Qualis*, τὸ *per ſcripturam* non ſignificat confeſſionem ſcripto factam, ſed condonationem criminis adulteræ a Chriſto dimiſſi, ut *Scriptura* teſtatur, ideſt Joannes cap. 8. v. 11. ac præterea in Rhemenſi Concilio, & in lib. 8. Capitular. n. 279. unde depromptum eſt caput, *Qualis*, ea verba *per ſcripturam* haudquaquam habentur.

Dices. Moribundus, qui ante Sacerdotis adventum pœnitentiæ ſigna dedit, & petiit confiteri, ſi adveniente Sacerdote jam uſum rationis amiſerit, ita ut nec confiteri, nec pœnitentiæ ſigna dare poſſit, abſolvi poteſt ac debet, dum præſentes fide digni teſtentur ipſum pœnitentiam petiiſſe: non ergo præſens confeſſio eſſentialiter ad perfectionem Sacramenti requiritur.

Reſp. eo in caſu præſentem eſſe pœnitentem abſolvendum , necnon præſentem eſſe manifeſtationem peccatorum , eo modo quo fieri poteſti , teſtimonio ſcilicet adſtantium , a quibus enunciatur Confeſſario præſenti hominis in extremo laborantis pœnitentia & recta animi diſpoſitio , in qua adhuc perſeverare moraliter certus eſt Sacerdos . Hinc infirmus ille quaſi per interpretem (quod utique licet) , per adſtantium teſtimonium confitetur ; ac dum præſens abſolvitur , ſacramentalis forma ſenſum omnino non mutat.

Objicies 2. plura Veterum exempla quibus apparet , validum licitumque aliquando fuiſſe abſenti Miniſtro per litteras confiteri , & ab eo ſacramentalem abſolutionem accipere . Ita Robertus Cenomanenſis Epiſcopus gravi morbo decumbens anno 872. Duziacenſis Concilii Patribus peccata ſua per epiſtolam confeſſus eſt, & ab iiſdem diſtantibus abſolutus *per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem* , inquiunt Concilii Patres , *quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit Diſcipulis & Apoſtolis ſuis dicens , Accipite Spiritum Sanctum , quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis , &c.* quæ ſane verba ſacramentalem indicant abſolutionem.

Alterum exemplum confeſſionis & abſolutionis per litteras eſt Hildeboldi Epiſcopi Sueſſionenſis , quem abſolvit Hincmarus Rhemenſis , ut adnotat Sirmondus ad tertium volumen Conciliorum Galliæ , & conſtat ex epiſtola ipſius Hincmari quadrageſima , quæ hunc in vetuſto codice titulum habet : *Exhortatoria Hincmari Metropolitani ad Hildeboldum Epiſcopum corporea infirmitate detentum , in qua juxta petitio-*

titionem litterarum confeſſionis illius ſua auctoritate eum per abſentiam corporalem reconciliando abſolvit.

Item Gregorius Papa VII. non ſemel abſentibus abſolutionem impertiit, ut Lincolnienſi Epiſcopo ex epiſtola 34. libri 1. & Epiſcopo Leodienſi ex epiſtola 61. libri 2. & Alphonſo Hiſpaniæ Regi, ejuſque proceribus ex epiſtola 2. libri 9. Denique, ut de aliis ſileamus, Alexander III. Apoſtolicis litteris abſolutionem contulit S. Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi; ut inter alios recenſet Baronius ad annum 1164.

Reſp. adductis aliiſque ſimilibus exemplis minime demonſtrari fuiſſe collatam abſentibus ſacramentalem abſolutionem a peccatis, ſed a cenſuris pœniſque canonicis per indulgentiarum conceſſionem; quæ quidem abſolutio nonnunquam dicitur eſſe a peccatis, quia cenſuræ illæ & pœnæ canonicæ ſunt peccatis addictæ; dicitur etiam impertita per poteſtatem a Chriſto datam remittendi peccata, quia ad hanc quoque poteſtatem revocatur auctoritas abſolvendi ab excommunicatione, ceteriſque cenſuris. Atque hujuſmodi fuit abſolutio, quam per generalem dumtaxat peccatorum confeſſionem Robertus Cenomanenſis obtinuit.

Ejuſdem etiam conditionis extitit abſolutio Hincmari per litteras Hildeboldo collata: unde ſic ſcribit: *Bonam tuam devotionem commoneo, ut præter iſtam generalem confeſſionem, quæ ab ineunte ætate uſque ad horam in qua nunc degis te commiſiſſe cognoſcis, ſpecialiter ac ſigillatim Deo & Sacerdoti ſatagas confiteri.* Per quod evidenter oſtenditur ad Hildeboldi ſalutem ſatis non fuiſſe confeſſionem ſcripto ex-

preſſam, & abſolutionem eodem modo collatam.

Cum inſuper in citatis Gregorii VII. epiſtolis nulla occurrat mentio confeſſionis editæ ab illis, quos idem Pontifex abſolvit; profecto veriſimile non videtur, ipſum ſacramentaliter abſolvere voluiſſe eos, quorum ſacramentalem confeſſionem nequaquam exceperat.

Alexander item III. S. Thomam a cenſura abſolvit, quam ille ſe incurriſſe timebat, quod aliquando a ſummis viris deceptus ceſſiſſet Henrico II. Angliæ Regi libertatem Eccleſiaſticam impugnanti. Hinc in iiſdem litteris Pontifex ita ait: *Si aliquid te recolis commiſiſſe, de quo propria te debeat conſcientia remordere, quidquid ſit, Sacerdoti, qui diſcretus & providus habeatur, tibi conſulimus per Pœnitentiam confiteri.*

Objicies ultimo contra probationem ex Clementis VIII. Conſtitutione deductam. Laudata Pontificis Conſtitutio non oſtendit confeſſionem abſenti Sacerdoti factam *per ſe*, ac ſpectata ſola etiam ſacramenti ratione nullam eſſe & prorſus invalidam. Dici enim poteſt Pontificem materiæ proximæ ſacramenti Pœnitentiæ, confeſſioni videlicet, certam appoſuiſſe conditionem, ut fiat ore, & Sacerdoti præſenti, qua conditione neglecta, confeſſio ipſa ſit irrita; eo ferme pacto, quo Eccleſia proximæ materiæ ſacramenti matrimonii pro neceſſaria conditione Parochi præſentiam adjunxit; & licet quilibet Sacerdos in ordinatione ſua poteſtatem abſolvendi a peccatis accipiat, præſcripſit tamen Eccleſia, ut abſolvere minime queat, niſi ab Epiſcopo juriſdictionem obtineat. Ergo ſimiliter confeſſio facta per litteras irrita dici po-

poteſt dumtaxat ex Eccleſiaſtica ſanctione.

Reſp. Clementem VIII. in laudata Conſtitutione non addidiſſe conditionem in poſterum obſervandam, ſed declaraſſe confeſſionem per litteras, & abſolutionem abſentis ex ſe irritas eſſe; cum dixerit propoſitionem illam antea prolatam, eſſe *falſam*, *temerariam*, & *ſcandaloſam*; ideoque talis erat etiam prius quam Clementina Conſtitutio emanaret. Hinc Tridentina Synodus ex Chriſti voluntate & inſtitutione deſcendere perhibet, quod qui poſt baptiſmum graviter deliquerunt, ante hoc tribunal tanquam rei ſe ſiſtant.

Adnotandum denique eſt, quod cum Suarez in 3. p. diſp. 21. ſect. 4. docuiſſet Clementis definitionem *non diviſive* accipiendam eſſe, *ſed complexive*; quatenus abſolutio dari non poſſit abſentibus, poſſit tamen dari iis, qui confeſſi ſunt in Sacerdotis abſentia; cum, inquam, id Suareſius affirmaſſet, Paulus V. die 14. Julii anno 1605. ejuſmodi expoſitionem damnavit, juſſitque ab ejus libris expungi. Ipſe etiam Clemens VIII. Cardinali Bellarmino declaravit damnatam a ſe utramque propoſitionis partem, vetitumque ne confeſſio fiat abſenti, quamvis abſolutio in præſentia danda eſſet.

CAPUT XII.

De neceſſitate ſatisfactionis.

TErtia pars ad ſacramentum Pœnitentiæ requiſita eſt ſatisfactio, quæ ſane in ordine intentionis eſt prior; idcirco enim pœnitentiam uſurpamus, ut faciamus Deo ſatis per debitum dolorem, pœnamque convenientem; eſt vero poſterior in executionis ordine, cum poſt receptam ſacramentalem abſolutionem ſoleat adimpleri. Satisfactionis itaque nomen hoc in loco ſignificat *temporalis pœnæ perpeſſionem, per quam illata Deo per peccatum injuria compenſatur*. Diſtinguitur autem ſatisfactio iſthæc in ſacramentalem, & non ſacramentalem. Prior eſt, per quam in ſacramento Pœnitentiæ retribuimus Deo compenſationem aliquam pro peccatis, juxta præſcriptum, & ſententiam Sacerdotis. Poſterior vero eſt illa, per quam homo bonis operibus ſibi a Sacerdote non injunctis compenſare nititur pro peccatis.

Prava Novatorum ſententia tradit, quod poſt dimiſſionem culpæ nulla temporalis pœna luenda ſuperſit, nullaque a Sacerdote ſit imponenda confeſſis; & quod ſatisfactiones olim veterum canonum auctoritate præſcriptæ, ordinatæ non fuerint ad compenſationem aliquam Deo reddendam, ſed ad publicum emendationis teſtimonium exhibendum Eccleſiæ, & ad aliorum exemplum. Quam vero illi immane fallantur, eſt

eſt nunc breviter oſtendendum.

Propoſitio I. Dimiſſa mortali culpa remanent plerumque temporales pœnæ luendæ.

Probatur. Primum hujuſce veritatis exemplum habemus in primo parente, qui licet, ut legitur Sap. 10. v. 2. eductus fuerit a peccato ſuo, æternamque pœnam evaſerit; ærumnis tamen miſeriiſque quamplurimis ipſe cum tota poſteritate ſubjectus eſt, & quidem in peccati vindictam, ut conſtat ex cap. 3. Gen. v. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, &c.*

Quamvis præterea intercedente Moyſe apud Deum, ne univerſum populum internecione deleret ob idololatriam vituli in deſerto, placatus dicatur Dominus Exodi 32. v. 14. ſubdit tamen ibidem v. 34. *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.*

Item Num. c. 14. ob populi murmurationem iratus, & Moyſis oratione placatus Dominus, ita ut diceret v. 20. *Dimiſi juxta verbum tuum;* nihilominus addidit v. 22. *Attamen omnes homines, qui viderunt majeſtatem meam, & ſigna quæ feci in Ægypto, . . non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, &c.*

Eodem quoque in libro c. 12. Maria ſoror Moyſis, pro qua frater deprecatus eſt Deum, *excluſa eſt*, v. 15. *extra caſtra ſeptem diebus*, ut rubore ſuffunderetur, quod eidem Moyſi detraxiſſet propter uxorem ejus Æthiopiſſam.

Plura denique Scripturarum teſtimonia hoc idem oſtendunt; ſed illuſtre præ ceteris eſt Davidis exemplum. Ille enim 2. Regum c. 12. correptus a Nathan Propheta de peccato ſuo, cum

cum dixiſſet v. 13. *Peccavi Domino*, ſtatim audivit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum; non morieris*. Addidit tamen Propheta: *Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*. Ea autem fuit temporalis pœna non tantum filii, ſed & patris, qui in filii morte punitus eſt.

Hinc S. Auguſtinus in Pſalmum 50. ait: *Aliquando Deus cui ignoſcit in futuro ſeculo, corripit eum de peccato in iſto ſeculo. Nam & ipſi David, cui dictum jam fuerat per Prophetam, Dimiſſum eſt peccatum tuum, evenerunt quædam quæ minatus erat Deus propter ipſum peccatum*. Et ibidem de illo ſubjungit: *Agnoſcens culpam ſuam, amplexus eſt pœnam ſuam*. Legendus eſt etiam S. Doctor tract. 124. in Joannem, lib. 22. contra Fauſtum c. 67. & in Pſalmum 98. &c.

Conſonat & Gregorius M. lib. 9. moralium c. 34. alias 17. ita ſcribens: *Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum ſine ultione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus ſine vindicta laxatur. Sic David audire poſt confeſſionem meruit: Dominus tranſtulit peccatum tuum; & tamen multis poſt cruciatibus afflictus, ac fugiens reatum culpæ, quam perpetraverat, exolvit*.

Idem denique Patres alii paſſim docent, ac præſertim Ambroſius in Pſal. 37. Chryſoſtomus hom. 2. ſuper Pſal. 50. & hom. 4. in epiſt. 2. ad Corinth. Hieronymus in cap. 10. Jeremiæ, Leo M. ſerm. 8. de Paſſione Domini, Fulgentius lib. 1. de remiſſione peccatorum c. 12. ac

ac Proſper ſententia 72. & 148.

Ad hanc perpetuam conſtantemque traditionem attendens Synodus Tridentina ſeſſ. 14. can. 12. anathemate eum ferit, qui dixerit, *totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo*. Cujus præterea rei rationem iſtam profert in eadem ſeſſ. cap. 8. *Sane & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui ſemel a peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ*.

Propoſitio 2. Debet Sacerdos ſatisfactorias pœnas confeſſis injungere.

Probatur. Chriſtus Matth. 18. & Joan. 20. Sacerdotibus non ſolum ad ſolvendum, verum etiam ad ligandum conceſſit claves, ſeu judiciariam poteſtatem. Sicut ergo ſolvendi poteſtatem exercent, dum abſolutionem impendunt; ita ligandi poteſtate utantur oportet, pœnarum vincula imponendo. Sacerdos enim in ſacro Pœnitentiæ tribunali ſedet ut judex; proindeque vindicativam debet exercere juſtitiam; quæ punitionem pro delicto requirit.

Hinc rectiſſime Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 8. hæc inter alia ſcribit: „ Debent Sacer„ dotes Domini, quantum ſpiritus, & pruden„ tia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, &

„ pœ-

„ pœnitentium facultate ſalutares, & conve-
„ nientes ſatisfactiones injungere; ne ſi forte
„ peccatis conniveant, & indulgentius cum pœ-
„ nitentibus agant, leviſſima quædam opera
„ pro graviſſimis delictis injungendo, alieno-
„ rum peccatorum participes efficiantur. Ha-
„ beant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam
„ imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cu-
„ ſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed
„ etiam ad præteritorum peccatorum vindi-
„ ctam, & caſtigationem: nam claves Sacer-
„ dotibus non ad ſolvendum dumtaxat, ſed &
„ ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Pa-
„ tres & credunt, & docent.

Et re quidam vera SS. Eccleſiæ Patres nunquam lapſis veniam conceſſerunt, quin ad peragendam ſatisfactionem juxta Sacerdotis canonumque præſcriptum adigerent. Unde Baſilius in Regulis brevioribus interrogat. 106. & 194. ait: *Pro qualitate delicti tempus pœnitentiæ impendatur: hoc ſit in judicio poſitum eorum, qui præſunt, vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant qui delinquunt*. Similiter Auguſtinus in Enchiridio c. 65. ſcribit: *Recte conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiis præſunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat ſatis etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata*. Item Leo I. in epiſt. 79. nunc 129. ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum c. 6. inquit: *Tempora pœnitudinis, habita moderatione, conſtituenda ſunt tuo judicio, prout converſorum animos proſpexeris eſſe devotos*. Extat cap. *Tempora*, cauſa XXVI. q. 7. ubi alii leguntur canones huc ſpectantes.

Propoſitio 3. Satisfactoriæ pœnæ non eo tantum fine imponendæ implendæque ſunt, ut aliis præ-

præbeamus exemplum, & emendationis teſtimonium exhibeamus Eccleſiæ; verum etiam, ac principaliter, ut illatas Deo per peccatum injurias compenſemus.

Probatur ex Scripturis ac SS. Patrum teſtimoniis, in quibus orationes, jejunia, eleemoſynæ, vigiliæ, aliaque juſtitiæ opera non ob id præcipue commendantur, aut præcipiuntur, ut is qui peccavit, apud homines, atque in conſpectu Eccleſiæ dolorem ſuum teſtatum faciat, ſed ut apud Deum peccata ſua redimat & extinguat, ut Deum ſibi propitium ac placatum reddat, ut flagella iracundiæ ejus avertat. Ita Proverb. 16. v. 6. legitur: *Miſericordia, & veritate redimitur iniquitas.* Danielis 4. v. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Jonæ 3. v. 10. *Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Matth. 3. v. 7. inquiebat Joannes: *Quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Denique 1. ad Cor. c. 11. v. 32. *Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Quod vero ad Patres pertinet, Cyprianus plura hac de re ſcribit in lib. de lapſis, illudque præſertim: *Dominus orandus eſt, Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt.* Ambroſius etiam idem docet lib. 7. in Lucam n. 156. inquiens: *Sicut qui pecunias ſolvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius ſortis ad nummum uſque quocunque ſolutionis genere quantitas univerſa ſol-*

vatur; ſic compenſatione charitatis, actuumque reliquorum, vel ſatisfactione quacunque, peccati pœna diſſolvitur. Perſpicue pariter Auguſtinus ſerm. 351. ad rem præſentem ita loquitur: *Non enim ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere; niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis*. Plura alia teſtimonia proferunt Bellarminus, Eſtius, Tournely, ceterique communiter.

Ratione tandem probatur hæc theſis. Ut enim recte Seraph. Doctor argumentatur in 4. d. 15. p. 2. a. 1. q. 2. *Ei fit ſatisfactio, cui injuriatum eſt per culpam: ſed hic eſt Deus, quia peccatum eſt ſpreto incommutabili bono rebus commutabilibus adhærere: ergo ſatisfactio proprie fit ipſi Deo*.

Item, ſi ſatisfactio non fieret niſi Eccleſiæ, videtur, quod cum peccator exiret forum Eccleſiæ, non teneretur ad pœnam aliquam: ergo omnes evolarent; ergo fruſtra fiunt ſuffragia Eccleſiæ, & errant, qui ponunt pœnam purgatoriam: ſed hoc eſt contra fidem: ergo, &c.

Dictis adjunge, quod ſi ſatisfactiones eo dumtaxat fine præſcriberentur, ut Eccleſiæ teſtimonium redderetur converſionis eorum qui peccarunt; jam ad nullam ſatisfactionem teneretur, qui occulte delinquendo, peccato ſuo Eccleſiam haudquaquam offenderet. Id vero quam ſit abſurdum, quam ſit divinæ Scripturæ, ac Patrum doctrinæ contrarium, quam communi Eccleſiæ praxi repugnans, nemo non videt.

Concludendum itaque eſt cum S. Bonaventura, „ quod cum peccator peccat, ſe ad pœnam „ æternam obligat. Cum autem divina miſe-

„ ri-

„ ricordia juſtificat, ſeu vivificat, omnem re-
„ mittit culpam, & reatum pœnæ æternæ, qui
„ inſeparabiliter adhæret culpæ. Sed quia mi-
„ ſericordia non poteſt præjudicare juſtitiæ,
„ cujus eſt mala punire; ideo ſic ſolvit a cul-
„ pa, & pœna, ut tamen remaneat obligatus
„ ad aliquantulam pœnam temporalem. Sed quo-
„ niam peccator ipſum Deum offenderat, &
„ Eccleſiam damnificaverat; commiſit Dominus
„ judiciariam poteſtatem ſuper peccatores Re-
„ ctoribus Eccleſiæ, & in eos compromiſit tan-
„ quam in arbitros; ut ſic innoteſcat volun-
„ tas Dei pœnitentibus per Sacerdotes, & per
„ illos imponatur pœna peccatoribus, & Do-
„ mino ſatisfiat principaliter, & Eccleſiæ per
„ conſequens. Unde ſatisfactio proprie de pecca-
„ to fit ipſi Deo; tamen per Eccleſiam, &
„ in Eccleſia.

Objicies 1. contra 1. propoſ. Ezechielis 18. v. 21. dicit Deus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et c. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Recordaretur autem Deus peccatorum, eademque nocerent homini poſt pœnitentiam, & converſionem, ſi luenda adhuc pro illis pœna maneret.

Reſp. in utroque Ezechielis teſtimonio non obſcure ſatisfactionem per bona juſtitiæ & miſericordiæ opera commendari; in primo quidem, dum dicitur: *Si cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam,* ſive,

ſive, ut in Græco textu habetur, *& fecerit æquitatem, & miſericordiam*. In ſecundo etiam loco v. 14. ſic legitur: *Si egerit pœnitentiam a peccato ſuo, feceritque judicium, & juſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum: vita vivet, & non morietur*. Deinde verbis illis aſſeritur, Deum poſt pœnitentiam non recordari iniquitatum, neque impietatem nocere impio, quatenus eas æterna pœna non punit; quod verba illa demonſtrant: *Vita vivet, & non morietur*; æterna ſcilicet morte. Tanta enim eſt inter temporalem pœnam æternamque diſtantia, ut Deus æternam remittens, etiamſi temporalem exigat, recte peccati dici poſſit oblitus; præſertim cum ſicut vita æterna eſt propria juſtitiæ merces, ita mors æterna eſt proprium peccati ſtipendium; cumque præterea temporales pœnæ reſerventur ad utilitatem ejus, a quo exiguntur. Unde bene dicitur: Non nocebit impio poſt converſionem impietas: tota enim illa pœna refertur ad ſalutem ejus, qui a Deo punitur.

In eodem pariter ſenſu peccata remiſſa dicuntur a Deo tegi, & non imputari, Pſalmo 31. non enim parvum eſt divinæ miſericordiæ beneficium, quod peccatum ita dimittat, ut ulterius dignum æterna pœna minime reputetur, etiamſi temporalis aliqua pœna luenda ſuperſit.

Poſtremo, quod legitur ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*; ſignificat nullum in renatis remanere reatum culpæ, & mortis æternæ: id enim damnationis nomen importat, ut patet ex ejuſdem

dem epiſtolæ c. 3. v. 8. *Quorum damnatio juſta eſt*. Ceterum ſi poſt remiſſum originale peccatum etiam Baptizati hujus vitæ miſeriis, corporiſque morte plectuntur, quæ ex prima tranſgreſſione deſcendunt; quanto magis exigendæ ſunt pœnæ ab iis, qui poſt acceptum in Baptiſmate Spiritus Sancti donum, ipſum contriſtare, ejuſque templum violare non formidarunt? Vide quæ ex Tridentina Synodo ſupra inter probandum attulimus.

Objicies 2. Nonnulli Patres affirmare videntur poſt dimiſſam a Deo culpam non ſupereſſe luendam pœnam aliquam temporalem. Ita S. Ambroſius lib. 10. in Lucam n. 88. ait: *Lacrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego*. Auguſtinus lib. 2. de peccat. mer. & remiſſ. c. 34. de miſeriis quibus propter originale peccatum afficimur, inquit, *ante remiſſionem eſſe illa ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem autem certamina, exercitationeſque juſtorum*. Evidentius quoque Chryſoſtomus hom. 28. in epiſt. 1. ad Corinth. exponens ea verba, *Quod ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*, hæc habet: *Non dixit, ſi caſtigaremus nos ipſos, ſi puniremus, ſed ſolum ſi vellemus agnoſcere peccata, ſi nos ipſos condemnare, ſi de delictis ferre ſententiam, liberaremur ab eo, quod & hic, & illic eſt, ſupplicio*. Denique Auctor lib. de vera & falſa pœnit. c. 9. ſcribit: *Quædam impietas infidelitatis eſt, ab illo qui juſtus & juſtitia eſt dimidiam ſperare veniam*. Ergo dimiſſa culpa, tota etiam pœna dimittitur; adeoque &c.

Reſp. Ambroſium eo loci per ſatisfactionis nomen non intelligere laborioſa & afflictiva

opera, ſed excuſationem defenſionemque delicti. Dicit enim S. Petrum agnoviſſe peccatum ſuum, non illud excuſaſſe, aut ullatenus defendiſſe: unde ſtatim adjungit: *Sed quod defendi non poteſt, ablui poteſt.*

Auguſtinus affirmare dumtaxat intendit, hujus vitæ miſerias ante remiſſionem peccatorum eſſe tantum illorum ſupplicia; poſt vero remiſſionem, præterquam quod juſto Dei judicio infligantur adhuc pro peccatis quoad culpam dimiſſis, hoc etiam utilitatis habere, quod ſint certamina, exercitationeſque juſtorum. Dum enim ea mala patienter ac fortiter tolerantur, *exercetur fortitudo juſtitiæ, ejuſque pietas in illa humilitate probatur.* Vide contextum.

Chryſoſtomus citato in loco ſcribit homines ſpontanea caſtigatione poſſe evadere temporales ac ſempiternas punitiones, quæ ipſis inferuntur invitis; pœnas tamen hujus ſæculi *magis eſſe admonitionis quam condemnationis, & magis curationis quam punitionis;* quia Deus *hic pœnas exigens, ubi ſupplicium eſt temporale,* vult nos a ſempiternis pœnis eruere. Ac proinde S. Doctor ſatisfactionis neceſſitatem non denegat, ſed affirmat.

Ad ultimum teſtimonium reſpondemus cum S. Bonaventura in loco paulo ſuperius laudato, „ quod tunc venia dimidiatur, quando unum „ mortale dimittitur, & reliquum tenetur. Et „ hoc eſt inconveniens ponere, quod Deus „ qui juſtus eſt, poſſet confœderari, & reconciliari homini in ſua injuſtitia permanenti; „ alioquin ſimul eſſet amicus, & inimicus. Non „ ſic autem eſt de aliqua pœna temporali, „ quia obligatio ad pœnam non facit injuſti-

„ tiam

„ tiam in eo, qui vult ſolvere." Hunc profecto ſenſum indicant quæ citatus Auctor ante objecta verba præmittit: *Scio Deum inimicum omni crimino ſo. Quomodo ergo qui crimen reſervat, de alio recipiet veniam? Sine amore Dei conſequeretur indulgentiam, ſine quo nemo unquam invenit gratiam.*

Objicies 3. ſpeciatim contra 2. propoſ. Chriſtus iis quibus peccata dimiſit, pœnas, ſive ſatisfactoria opera non injunxit, ſed ſolum emendationem vitæ ac ceſſationem a peccato præcepit; uti præſertim patet ex verbis ejus dictis adulteræ Joan. 8. v. 11. *Nec ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare.* Ita etiam ſe geſſerunt Apoſtoli: nam Paulus ad Epheſios ſcribens c. 4. v. 28. ait: *Qui furabatur, jam non furetur;* quem locum Theophylactus ſic exponit: *Non dixit Apoſtolus, Puniatur qui furtum committit; ſed, A malo deſiſtat. Punire namque eſt fori judiciarii; dehortari autem a vitiis, Chriſti doctrinæ eſt.*

Reſp. cum S. Thoma in q. 18. ſuppl. a. 4. ad 3. *quod Chriſtus habuit poteſtatem excellentiæ in ſacramentis: unde ipſe ex auctoritate pœnam totam vel partem poterat dimittere, ſicut volebat. Non eſt ergo ſimile de his, qui operantur tantum ut miniſtri.* Lege etiam S. Bonaventuram in 4. d. 5. a. 3. q. 2. Sicut igitur ex quo Chriſtus oris confeſſionem ab adultera non exegit, inferri nequit poſſe Sacerdotes ſine ea a peccatis abſolvere; ita neque pariter &c. Dicendum eſt itaque Chriſtum Dominum non omnem poteſtatem ſuam Sacerdotibus contuliſſe, ſed ſolum illam, quam neceſſario Eccleſiæ regimen requirebat; ut nempe non niſi contritis,

confeſſis, ac pœnitentiam agentibus peccata dimitterent. Ceterum licet valde probabile ſit, non eſt tamen prorſus indubium, quod Chriſtus nunquam ſatisfactoria opera pœnitentibus impoſuerit. Vide Eſtium in 4. d. 15. §. 12. ad 3.

Quod vero de Apoſtolis additur, omnino falſum eſt. Paulus enim Corinthium illum inceſtuoſum *tradidit ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*: 1. Cor. 5. v. 5. quem locum Hieronymus in c. 5. epiſt. ad Galatas, Auguſtinus lib. contra Adimantum c. 17. aliique de pœnitentiæ laboribus moleſtiiſque paſſim intelligunt. Conſule Eſtium in loco mox citato, & P. Berti in parte altera libri 34. c. 10. Atque id inſuper ex ipſo qui objicitur, ad Epheſios textu probatur; ſtatim enim ſubjungit Apoſtolus: *Magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti*: quæ verba ita exponit Chryſoſtomus hom. 14. *Furati ſunt, hoc eſt peccatum. Non furati ſunt, hoc non eſt peccatum ſolvere. Sed quomodo? Laborarunt, & aliis impertierunt. Sic ſolverunt peccatum.* Utrumque igitur hic jubet Paulus, nimirum a peccato ceſſare, ac ulterius pœnitentiæ & ſatisfactioni ſtudere.

Neque diverſa eſt Theophylacti ſententia, cum paulo poſt adducta verba ſubjiciat: *Antea operabatur malum, jam nunc operetur bonum: neque id ſimpliciter, verum cum labore, . . . ut conterat corpus quod antea ex torpore mala didicerat, . . . ac impertiat etiam aliis, ubi antehac aliena ſublegerat, jam aliis beneficentiam exhibeat*. Quæ verba ſatisfactionem aperte commendant. Dum ergo dicit Paulum non hoc vel-

velle, ut puniatur qui furtum commiſit, de punitione loquitur, quæ cum dedecore, & interitu a ſeculari Judice ſecundum civiles leges infligitur. Non enim hujuſmodi ſatisfactionum genus Chriſtiana diſciplina requirit.

Objicies 4. contra 3. propoſ. Romanorum 3. v. 24. legitur: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Nihil ergo ſolvendum remanet pro remiſſione peccati; cum nihil magis gratuitæ remiſſioni, quam ſatisfactio opponatur.

Præterea, Chriſtus non pro culpa tantum, ſed & pro pœna pleniſſime ſatisfecit, ut diximus in lib. 20. c. 2. Injuriam igitur Chriſto irrogat, Deoque injuſtitiam tribuit, qui affirmat adhuc ab homine ſatisfactionem exigi pro peccato.

Rurſum, homo Deo ſatisfacere pro peccato non poteſt, tum quia offenſa Dei eſt infinita ſaltem ratione objecti, omne autem opus hominis eſt plane finitum, quod proinde Dei offenſam adæquare non valet; tum quia homo nihil Deo poteſt offerre, quod ſaltem ratione creationis ipſi non debeat; tum poſtremo, quia juſti etiam homines quotidie, ſæpiuſque peccant, ita ut dum ſatisfacere pro uno peccato conantur, alia ſtatim plura ipſis de novo ſubrepant.

Reſp. ad 1. juſtificationem & remiſſionem peccatorum eſſe mere gratuitam, quia Deus per gratiam ſuam prævenit hominem a ſe averſum, nihil in ſeipſo habentem, cujus intuitu eum ad ſe vocet, & initium bonæ voluntatis inſpiret; & quia, ut ait Synodus Tridentina in ſeſſ. 6. cap. 8., *nihil eorum quæ juſtificatio-*

nem præcedunt , ſive fides , ſive opera , ipſam juſtificationis gratiam promeretur . Cum igitur quidquid a nobis rectum geritur, ex gratiæ dono proveniat, gratia autem ex Chriſti redemptione deſcendat, rectiſſime inquit Apoſtolus: *Juſtificati gratis &c.* Proindeque gratis etiam remitti nobis peccata dicuntur, etſi poſt juſtificationem aliquid ad ſatisfaciendum Deo rependimus; quia ſatisfactiones noſtræ ex Chriſto vim habent, a Chriſto offeruntur Patri, & per Chriſtum acceptantur a Patre. Hinc bene S. Ambroſius commendans ſimul ſatisfactiones noſtras, & gratiam Redemptoris, lib. 2. de Abel & Cain c. 3. ait: *Crimina bonis operibus, fideique pretio, & miſeratione redimamus. Pretium meum ſanguis eſt Chriſti.*

Ad 2. jam patet ex dictis in citato lib. 20. c. 2. quæ ſit reddenda reſponſio. Etſi enim Chriſtus ſua paſſione pro nobis cumulatiſſime ſatiſfecerit, applicanda tamen illa nobis ipſis eſt per bona opera, propriaſque ſatisfactiones, ita Deo ad ejuſdem Chriſti gloriam ſapientiſſime diſponente; quia, ut loquitur Concilium Tridentinum laudato in loco, *dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita noſtra eſt ſatisfactio, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum, &c.*

Ad 3. Bona opera quæ fiunt ab homine reconciliato, per juſtificantem gratiam reſpectum quendam infinitatis acquirunt, ut quemadmodum de condigno vitam merentur æternam, ita

ita quoque pro pœna reſtante ſatis Deo faciant de condigno. Et licet Deus jure creationis ac ſupremi dominii poſſit ab homine exigere omnia quæcunque ab illo patrantur; pro ſua tamen erga creaturam bonitate & clementia, non omnia omnino exigit, ſed nonnulla dumtaxat ſecundum leges ab ipſo provide conſtitutas. Quo fit, ut homo poſſit etiam quædam facere alioquin indebita, utpote nulla Dei lege ad ea facienda conſtrictus, præſertim in quantum pœnalia ſunt, per quæ proinde poteſt ſatis Deo facere pro peccatis. Poſtremo pro quotidianis levibuſque culpis habemus quotidiana ſatisfaciendi remedia; Dominicam ſcilicet orationem, eleemoſynæ erogationem, injuriarum condonationem, & cetera pietatis opera, de quibus agunt Auguſtinus in epiſt. 157. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum c. 41. aliique Patres.

Objicies 5. Cyprianus in lib. de lapſis affirmat pœnitentem, ſatisfactione peracta, ipſam, *quam contriſtaverat nuper, lætam facturum Eccleſiam.* Et Auguſtinus in Enchir. c. 65. pœnitentiæ tempora ab iis qui Eccleſiæ præſunt, conſtituta fuiſſe ait, *ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ in qua remittuntur ipſa peccata.* Non ergo ad ſatisfaciendum Deo, ſed ad ædificandam Eccleſiam ſatisfactionis opera imponuntur.

Reſp. quod Cyprianus affirmet quidem lætam fieri Eccleſiam pœnitentiæ operibus, quæ fuerat contriſtata peccatis; non tamen hunc eſſe præcipuum ſatisfactionis uſum finemque pronunciat, ſed ut Deus ſatisfactione placetur, quemadmodum totus ille Cypriani liber ac ipſe contextus, evidenter oſtendit: inquit enim: *Qui ſi ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti*

 ſui,

ſui, qui pudore delicti plus virtutis & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus & adjutus a Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam; nec jam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam.

Auguſtinus etiam eodem in loco actionem pœnitentiæ, hoc eſt ſatisfactionem, refert *ad ſperandam Dei miſericordiam*; ac dum ait, *ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ*, aperte ſignificat ante omnia Deo eſſe ſatisfaciendum, ac deinde etiam Eccleſiæ: hinc ibidem c. 70. ſatisfactionem requirit propter delenda peccata: *Miſerando*, inquit, *delet Deus jam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.*

Objicies 6. Tanta poteſt eſſe contritio, ut omnem culpam pœnamque remittat; atque ita tunc Deus ſatisfactionem a pœnitente non exigit. At ſi taliter pœnitens ad ſacrum tribunal accedat, ſatisfactoria ei imponenda eſt pœna: ergo ſatisfactio magis Eccleſiæ eſt facienda, quam Deo.

Reſp. cum S. Bonaventura in quæſt. ſuperius indicata: „ Quod objicitur quod tanta poteſt „ eſſe contritio quod totum remittatur; di„ cendum, quod verum eſt: ſed quia Eccleſiæ „ non conſtat, ideo debet a Sacerdote imponi: „ ſi autem Sacerdoti conſtaret, reputaret omni„ no ſibi ſatisfactum, & tunc pœnam non im„ poneret, ſed abſolutum oſtenderet. Nunc „ autem in aliquibus decipitur; ſed deceptio eſt „ fructuoſa, quia ſemper merita cumulantur & „ Eccleſiæ imponenti, & ulterius ſatisfacienti: „ quia enim Dominus non vult ultra fortem, „ reliquum in theſauris Eccleſiæ habetur re„ poſitum.

CA-

CAPUT XIII.

Quædam dubia enodantur, quæ ad ſacramentalem pertinent ſatisfactionem.

JAm ſatis ſuperque de ſatisfactionis neceſſitate tractavimus: ſupereſt modo, ut de ejuſdem materia, & executione loquamur. Sit itaque 1. dubium: Quænam opera pro ſatisfactione ſunt præſcribenda?

Reſp. injungenda eſſe opera pœnalia, & afflictiva. Nam quoties Scripturæ ac Patres ad pœnitentiam adhortantur, ſemper memorant jejunia, fletus, eleemoſynas, aliaſque corporis animique afflictationes. Hinc merito Synodus Tridentina in ſeſſ. 14. c. 8. hæc inter alia docet: *Habeant autem præ oculis* (Sacerdotes), *ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.*

Quadruplici id inſuper ratione demonſtratur a S. Bonaventura in 4. d. 15. p. 2. a. 1. q. 3. Prima, inquit S. Doctor, ratio eſt, „ quia ibi „ eſt honoris ablati redditio: unde honorem „ iſtum debet homo reddere amplius, quam ſi „ non abſtuliſſet; & ideo requiritur, ut non „ tantum Deo famuletur per operationem bo„ nam, verum etiam ſeipſum dejiciat per pœ„ nam aſſumptam. Secunda ratio eſt, quia ibi eſt

„ pri-

„ primo deordinati reordinatio ; & quia deor„ dinatum per culpam optime ordinatur in pœ„ na , ideo &c. Tertia ratio eſt , quia ibi eſt „ infirmati curatio ; quia infirmatus per dele„ ctationis calorem , curatur per pœnalitatis „ algorem ; & ideo , &c. Quarta ratio eſt , „ quia ibi eſt debiti abſolutio ; & quia pecca„ tor eſt debitor pœnæ , ideo debet per pœ„ nam ſatisfacere. " Lege hac etiam de re S. Thomam q. 15. ſupplem. a. 1. & Ven. Scotum in 4. d. 15. q. 1.

Omnia vero pœnalia & ſatisfactoria opera ad tria hæc, orationem ſcilicet, jejunium, & eleemoſynam, a Theologis reducuntur; quatenus, ut ait Seraph. Doctor in laudato nunc loco q. 4. oratio comprehendi *omnem actum contemplative ad Deum relatum*; & jejunium dicitur *omnis carnis afflictio, quæ conſiſtit in vigiliis, & flagellis, & jejuniis proprie dictis*; ac tandem eleemoſyna dicitur *omne opus pietatis proximo impenſum, ſive ſpirituale, ſive corporale*. Ad hæc itaque tria operum genera ſingulas reduci ſatisfactiones ita S. Doctor oſtendit: „ Sufficientia & diſtinctio harum partium po„ teſt accipi ſecundum appropriationem, & ſe„ cundum proprietatem. Secundum appropria„ tionem: cum enim triplex ſit radix peccati, „ ſicut dicitur in Joannis epiſt. 1. c. 2. aut con„ cupiſcentia carnis , & contra hanc eſt jeju„ nium ; aut concupiſcentia oculorum, & con„ tra hanc eſt eleemoſyna ; aut ſuperbia vitæ, „ & contra hanc eſt oratio (hoc dico ſecun„ dum appropriationem , quia unumquodque „ horum valet contra omnes ; appropriate ta„ men magis opponuntur , ſicut dictum eſt) : „ & ex

„ & ex hoc patet numerus, & ſufficientia.

„ Per proprietatem vero ſic: Opus pœnale „ aut ordinat nos ad Deum; & ſic eſt oratio: „ aut ad nos, & ſic eſt jejunium, quod mace- „ rat carnem noſtram: aut ad proximum, & „ ſic eſt eleemoſyna: & ſic patet ſufficientia „ ſecundum illud ad Titum 2. *Sobrie, & juſte,* „ *& pie vivamus, &c.*

„ Aliter poteſt accipi ſecundum reconcilia- „ tionem, quia per orationem Deo reconcilia- „ mur. Sed, ſicut dicit Auguſtinus enarrat. in „ Pſal. 42. *Si vis orationem tuam volare in cœ-* „ *lum, fac illi duas alas, ſcilicet jejunium, &* „ *eleemoſynam.* Tobiæ 12. *Bona eſt oratio cum* „ *jejunio, & eleemoſyna.*

„ Aliter accipitur ſufficientia, quia duplex „ eſt vita, ſcilicet activa, & contemplativa: „ quantum ad contemplativam, oratio: quan- „ tum ad activam, eleemoſyna: ut autem homo „ ſit diſpoſitus ad utramque, ſic eſt jejunium.

Dubium 11. Num teneatur Sacerdos ſatisfa- ctionem injungere, quæ congrua ſit ac propor- tionata peccatis?

Reſp. affirmative, uti patet ex dictis in prop. 2. capitis præcedentis. Hinc oportet, ut Con- feſſarius pœnitentiales canones, & diſcipli- nam Eccleſiæ non ignoret, ut inde injungen- das lapſis ſatisfactiones addiſcat. *Nulli Sacer- dotum* (ait Cœleſtinus I. epiſt. 3. c. 1.) *ſuos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum regulis poſſit obviare.* Etſi ve- ro veterum canonum ſpiritum Confeſſarius ſe- qui debeat, poteſt tamen illorum rigorem pro ſua prudentia mitigare, prout pœnitentis con- tritio, ægritudo, conditio, aliæque circumſtan-

tiæ

tiæ poſtulaverint. Uti enim egregie ſcribit S. Thomas in ſuppl. q. 18. a. 4. „ Pœnæ ſatisfacto-
„ riæ infligendæ ſunt ut medicinæ. Sicut au-
„ tem medicinæ in arte determinatæ non omni-
„ bus competunt, ſed variandæ ſunt ſecundum
„ arbitrium medici, non propriam voluntatem
„ ſequentis, ſed ſcientiam medicinæ; ita pœnæ
„ ſatisfactoriæ in Canone determinatæ non com-
„ petunt omnibus, ſed variandæ ſunt ſecundum
„ arbitrium Sacerdotis divino inſtinctu regula-
„ tum. Sicut ergo medicus aliquando pruden-
„ ter non dat medicinam efficacem, quæ ad
„ morbi curationem ſufficiat, ne propter de-
„ bilitatem naturæ majus periculum oriatur;
„ ita Sacerdos divino inſtinctu motus, non
„ ſemper totam pœnam, quæ uni peccato de-
„ betur, injungit, ne infirmus aliquis ex ma-
„ gnitudine pœnæ deſperet, & a pœnitentia
„ totaliter recedat." Præclare etiam S. Bonaventura hac de re differit in 4. d. 20. p. 2. dub. 3.

Dubium III. An teneatur pœnitens acceptare ac implere ſatisfactionem ſibi a Sacerdote præſcriptam?

Reſp. maxime. Sacerdotes enim a Chriſto Domino acceperunt poteſtatem non ſolvendi tantum & remittendi, verum etiam ligandi & retinendi; adeo, ut quidquid illi ligant & retinent, ratum ſit apud Deum, juxta apertam ejuſdem Chriſti ſententiam Matth. 18. & Joan. 20. Atqui ligat Sacerdos peccatorem & peccatum ejus retinet, non tantum quando eum abſolutione cenſet indignum, verum etiam quando eum abſolvens aliquid pro ſatisfactione implendum injungit: ergo peccator obligatus coram Deo manet ad idem opus implendum. Hinc

Hinc Synodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 8. admonens Sacerdotes, ut ſatisfactionem imponant, quæ *non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem*; ita ſubjungit: *Nam claves Sacerdotibus non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*. Quæ ſane verba demonſtrant pœnitentem a Sacerdote ligari ad ſatisfactionem ab eo præſcriptam.

Et profecto, tenetur reus congruam ſatisfactionem a Judice impoſitam acceptare, ac pro viribus adimplere: at in tribunali pœnitentiæ confitens eſt reus, Sacerdos vero eſt Judex. Deinde ſatisfactio eſt Sacramenti pars integralis; ſi quis ergo eam implere deſpiciat, mutilat probroque afficit ſacramentum. Lege S. Bonaventuram in 4. d. 16. p. 1. dub. 6.

Dices. Sacerdos reſpectu pœnitentis eſt Judex arbitrarius: ergo pœnitentis arbitrio relinquendum eſt, ut vel quoad culpam ſimul & pœnam, vel quoad culpam dumtaxat, Sacerdotis judicio ſe ſubmittat.

Reſp. eſſe quidem in pœnitentis arbitrio hunc Confeſſarium adire, vel alium; at poſtquam aliquem adit, illius judicium declinare non poteſt: tunc enim Chriſti vice fungitur, ejuſque nomine ac auctoritate ligat & ſolvit. Niſi itaque certo vel probabiliter pœnitenti conſtiterit, gravem nimis enormemque pro ratione peccati eſſe pœnitentiam quam Sacerdos injungit, eam ſubire omnino tenebitur. Conſule Eſtium in 4. d. 15. §. 20.

Dubium IV. An ſatisfactionem implere quis poſſit, dum lethali peccato invenitur obnoxius?

Reſp.

Reſp. 1. Is qui eſt in actu peccati lethalis, ſatisfacere nequit, etiamſi injunctum opus exterius exequatur. Qui enim actu peccatum lethale committit, non habet voluntatem placandi Deum, quem per peccatum offendit; ea namque voluntas cum actuali offenſa componi non poteſt.

Reſp. 2. Neque ſatisfacere ille poteſt, qui in affectu mortalis peccati perſiſtit; nam licet actu non peccet, adhuc tamen voluntatem retinet Deo rebellem. Satisfactio inſuper eſt opus pœnitentiæ: pœnitentia autem non eſt vera in homine retinente peccati mortalis affectum; cum illa ſit ſtudium placandi Deum ſuper peccato commiſſo, ortum ex Dei amore, & ex deteſtatione cujuſcumque peccati quo Deus ipſe graviter eſt offenſus; proindeque neceſſario includit vitæ veteris odium, novæque propoſitum.

Reſp. 3. Qui eſt in reatu mortalis peccati, poteſt ſatisfacere; dummodo ejuſdem peccati affectum depoſuerit, ſitque per veram pœnitentiam converſus ad Dominum. Hæc nunc eſt communior inter Theologos recentiores opinio, quam præſertim ex eo demonſtrant, quod ſanctificantis gratiæ ſtatus ad ſatisfaciendum minime requiratur: antiquis enim Eccleſiæ temporibus ſatisfactio, ſive pœnitentia præceſſit ſacramentalem abſolutionem; nam niſi neceſſitatis caſus urgeret, vetus Eccleſia abſolutionem impendebat, poſtquam pœnitens ſatisfactionem expleverat: at regulariter loquendo, qui poſt baptiſmum lapſi ſunt, non juſtificantur, niſi quum ſacramentalem abſolutionem reipſa recipiunt: qui ergo in reatu mortalis peccati manet, poſſunt ſatisfacere, injunctamque pœni-

ten-

tentiam adimplere, ſi tamen peccatum ipſum ex animo deteſtentur.

Dices. Satisfactio neceſſario præſupponit amicitiam reſtitutam inter Deum offenſum, & hominem qui offendit: illa igitur extra ſanctificantis gratiæ ſtatum impleri omnino non poteſt.

Reſp. id neceſſario non requiri, ut quis pro peccatis ſuis, de congruo ſaltem, ſatisfaciat; ſed ſufficere, ut per veram pœnitentiam ad Deum converſus, amicitiam ejus, quam peccando amiſit, dignis pœnitentiæ operibus ambiat, exquiratque: hoc autem totum fieri ab eo poteſt, qui nondum in amicitiam eſt receptus. Et quamvis hujuſmodi homo nondum ſimpliciter, ideſt ad vitam æternam, Deo ſit gratus; poteſt tamen & ipſe, & opus ejus a Dei gratia procedens acceptum eſſe ad hoc ut pœna ſolvatur; ſicuti nempe fides, oratio, eleemoſyna, jejunium pœnitentis, etſi nondum reconciliati, accepta ſunt Deo, uti diſpoſitiones ad obtinendam juſtificationis gratiam conducentes. Unde conſequitur, quod ſi plene quis, ut olim fiebat, ante reconciliationem ſatisfecerit, non ſit ab eo ulterior ſatisfactio exigenda, poſtquam fuerit abſolutus.

Dubium v. Num unus pro alio poſſit ſatiſfactionem implere?

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 20. p. 2. „ a. 1. q. 1. „ quod pœna ſatisfactoria habet in „ ſe duplicem rationem, ſive virtutem Pœna „ enim talis propter duo eſt maxime, & pro„ pter medicamentum contra ſequelas peccati, „ & in pretium ad ſolvendum reatum pecca„ ti. Si ergo loquamur de iſta pœna ſecun„ dum quod eſt purgatoria, ſive medicinalis; „ cum

„ cum morbus non recipiat medicinam ex pœ-
„ na aliena, ſed propria (unde non extingui-
„ tur concupiſcentia in me, ſi tu jejunes pro
„ me) quantum ad hanc rationem pœna ſa-
„ tisfactoria nec poteſt, nec debet commutari
„ in aliam perſonam. Poſſet tamen commuta-
„ ri in pœnam internam; quia gemitus cordis
„ plus frequenter medetur, & reparat animam,
„ quam diuturnitas pœnæ exterioris. Si autem
„ loquamur de pœna ſecundum quod habet ra-
„ tionem pretii; hoc modo eſt concedendum,
„ quod poteſt commutari, quia poteſt unus
„ pro alio ſolvere pœnam.

Hujus vero ſententiæ ratio in Sanctorum communione, & charitatis unitate fundatur; ut ibidem laudatus S. Doctor præclare demonſtrat. Nemo tamen poteſt alteri propria auctoritate committere, ut pro ſe injunctum ſatisfactionis opus abſolvat. Proſcripta eſt enim ab Alexandro VII. hæc propoſitio num. 15. *Pœnitens propria auctoritate poteſt ſibi ſubſtituere alium, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.* Hinc bene S. Bonaventura citato in loco ſubjungit: „ Hæc commutatio debet fieri aucto-
„ ritate Sacerdotis, cujus eſt hic duo conſide-
„ rare, ſcilicet debitam in ſubditis diſpoſitio-
„ nem, & debitam proportionem in pœna.
„ Debitam diſpoſitionem voco, quod in uno
„ ſit ſufficientia, & in alio indigentia, &
„ in utroque ſit charitas, quæ facit bona com-
„ munia. Si vero alterum horum deſit, non
„ fit commutatio recta. Debitam vero propor-
„ tionem voco, ut minor pœna in majorem
„ commutetur; quia plus ſatisfacit Deo pœ-
„ na propria, quam aliena: ſicut efficacius ho-
„ mo

„ mo meretur ſibi, quam alii. Unde ſicut pœ-
„ na aſſumpta commutat in majorem pœnam
„ purgatoriam, eo quod multo minus eſt illa
„ accepta, pro eo quod iſta eſt voluntaria ſim-
„ pliciter, illa minime voluntaria: ſimiliter
„ debet propria pœna commutari in majorem
„ alienam, ad hoc ut fiat commutatio recta.

At dices. Non poteſt unus pro alio conteri, nec confiteri; ergo neque ſatisfacere.

Reſp. cum S. Bonaventura, „ quod non eſt
„ ſimile, quia prima, ſcilicet confeſſio, &
„ contritio, ſunt ordinata, ut ingrediatur uni-
„ tatem Eccleſiaſticam, per quam fit ut bona
„ unius fiant alterius; ſatisfactio vero utram-
„ que conſequitur: & quia fundamentum iſtius
„ commutationis eſt in charitate, ideo non eſt
„ ſimile.

Reponit præterea S. Thomas in q. 12. ſuppl.
a. 2. ad 2. „ quod contritio ordinatur contra
„ culpam, quæ ad diſpoſitionem bonitatis vel
„ malitiæ hominis pertinet: & ideo per con-
„ tritionem unius alius a culpa non liberatur.
„ Similiter per confeſſionem homo ſe ſacra-
„ mentis Eccleſiæ ſubjicit: non autem poteſt
„ unus ſacramentum pro alio accipere; quia
„ in ſacramento gratia ſuſcipienti datur, non
„ alii. Et ideo non eſt ſimilis ratio de ſatiſ-
„ factione, contritione, & confeſſione.

Dices 2. Nemo poteſt mereri alteri, quin mereatur & ſibi: pari itaque ratione, nemo ſatisfacere pro alio poteſt, quin & pro ſeipſo ſatisfaciat: ſi ergo poteſt unus pro alio ſatisfacere, poteſt ille unus per eandem pœnam ſatisfacere pro ſe ſimul & alio, imo & pro pluribus; quod repugnat.

Reponit Seraphicus Doctor, „ quod non eſt ſi-
„ mile de opere meritorio, & ſatisfactorio.
„ Opus enim meritorium eſt ea ratione, quæ
„ eſt ex radice charitatis, quæ ſemper placet
„ Deo, & quæ omnes communiter reſpicit,
„ & omnia communia facit; ideo ille in quo
„ eſt illa radix, non poteſt mereri alii, quin
„ ipſe placeat apud Deum; quia hoc ipſum
„ Deo placet maxime. Opus vero ſatisfacto-
„ rium eſt ratione pœnæ; & tanta pœna ſol-
„ vit tantum debitum, & major majus debi-
„ tum; ideo per eandem pœnam non poteſt
„ quis in integrum duo debita ſolvere: & ideo
„ qui ſatisfacit per eandem pœnam, ſi pro alio
„ quantum ad totum, non ſatisfacit pro ſe;
„ & ſi pro ſe, non pro alio. Sibi quidem me-
„ retur æternam gloriam, quia opus illud pla-
„ citum eſt Deo; & faciens illud Deo placet
„ faciendo, ac per hoc dignus retributione a
„ Deo judicatur.

CAPUT XIV.

De ſatisfactione, ſive pœniten-tia publica.

PUblicæ ſatisfactionis, ſive pœnitentiæ nomine ea hic intelligitur, quæ in Eccleſiæ conventu, populique conſpectu peragitur. Cum enim rationi conſentaneum ſit, ut qui publice delinquendo alios provocavit ad culpam, eoſdem

dem vitæ emendatione ad morum revocet probitatem, merito prorſus publicam pœnitentiam publice peccantibus indixit Eccleſia.

Antequam vero Montani hæreſis caput efferret, quod contigiſſe conſtat circa V. Æ. annum 157, non certis canonum præſcriptionibus, ſed Sacerdotum prudentia, peragendæ pœnitentiæ tempus modusque præfixus erat. Id patet exemplo Apoſtoli, qui inceſtuoſum Corinthium pœnitentiæ addictum poſt unius fere anni decurſum abſolvit. Joannes quoque Apoſtolus, uti ex Clemente Alex. recenſet Euſebius lib. 3. c. 23, prædonem quendam poſt peractam brevi tempore pœnitentiam reconciliavit Eccleſiæ. Refert denique idem Euſebius lib. 5. cap. ultimo, Natalem, qui apud hæreticos Epiſcopatum geſſerat, cinere conſperſum, & ad pedes Zephirini Pontificis provolutum, communioni redditum fuiſſe, quin diuturnos pœnitentiæ labores obiret.

At poſt exortam hæreſim Montaniſtarum, qui Catholicos increpabant, quod veniam idololatris, homicidis, mœchiſque tribuerent, paulo ſeveriorem erga pœnitentes diſciplinam uſurpavit Eccleſia, auxitque rigorem graſſante Novatiana hæreſi, cujus initium circa annum 251. ſtatuendum eſſe non dubitatur. Cum enim hæretici illi, ut majorem ad ſe Fidelium partem pertraherent, in vulgus ſpargerent Eccleſias adeo eſſe contaminatas, ut cunctis etiam ſacrilego idolorum cultu pollutis, necnon atrocioribus criminibus inquinatis pax redderetur; ſaluberrime inſtitutum eſt, ut nec ſpes communionis & pacis lapſis denegaretur, nec abſque certa, & ab Eccleſiis perſpecta ac probata emen-

 da-

datione reciperentur; ut liquet ex epiſtola Romani Cleri inter Cyprianicas 31. & ex ejuſdem Cypriani epiſt. 52. ad Antonianum; quorum primum ſpectans ad ſpem communionis neceſſarium erat ad refellendum dogma Novatianum; alterum vero de diuturniori pœnitentia, congruum quam maxime atque opportunum erat ad repellendas hæreticorum criminationes, necnon ad continendos Catholicos, ne facilioris indulgentiæ prætextu fidem furente Deciana perſecutione desererent.

Dum itaque Novatiana graſſaretur hæreſis, inſtitutæ fuerunt pœnitentium ſtationes, ſive claſſes, in quibus pro gravioribus peccatis pœna, & pœnæ tempus determinate præſcripta fuerunt. Prima autem ſtatio erat *Fletus*, ubi pœnitentes extra Eccleſiæ portam ſtabant lugubri veſte induti, cinere & cilicio ſordidati, lacrymiſque perfuſi; atque ita perpetrati criminis reos ſe publice fatebantur, Deique ac Eccleſiæ miſericordiam ſupplices implorabant. Hunc pœnitentiæ gradum ſubiiſſe Fabiolam nobilem Romanam ſcribit Hieronymus epiſt. 84. ad Oceanum, inquiens; *Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi conſedit; ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret.*

Altera ſtatio dicta fuit *Auditio*, in qua pœnitentes intra Eccleſiæ portam cum Catechumenis morabantur, ibique Scripturæ lectionem, ſacroſque ſermones audiebant; inde vero cum iiſdem Catechumenis ante Fidelium miſſam exibant.

Ter-

Tertius gradus, ſive ſtatio, *Subſtratio* dicebatur. Completo enim *audientiæ* tempore pœnitentes ſubſtrati & genuflexi Eccleſiæ precibus, propriiſque ſatisfactionibus expiabantur, ac ſæpius manuum impoſitionem ab Epiſcopo & Clero accipiebant, ut tandem ſeſe ad conſequendam communionem pacemque diſponerent. Subſtratorum locus erat intra Templi portam uſque ad ambonem, ad illum nempe locum, quem modo *pulpitum* appellamus; & ad altare propius accedebant, quam accederent audientes: exibant tamen etiam ipſi de Templo, antequam ſacrificium offerretur.

Quartus denique gradus erat *Conſiſtentia*, in qua pœnitentes cùm Fidelibus aliis conſiſtebant ad finem uſque Synaxeos, quin tamen ipſi de Euchariſtia participarent. Hi ambonem inter, ac presbyterium ſtabant, ac tandem ad ſacra myſteria, poſt completam pœnitentiam accedebant.

In unoquoque iſtorum graduum pœnitentes pro criminum gravitate per annos aliquot verſabantur; remanente tamen penes Epiſcopum poteſtate, ut ſpectata illorum contritione, & fervore, cum iiſdem tum ſupra tempus, tum ſupra pœnas diſpenſare valeret.

Notandum hic eſt non omnia peccata lethalia per publicam pœnitentiam expiata fuiſſe, ſed tria dumtaxat, idololatriam ſcilicet, homicidium, & mœchiam; uti ex Tertulliano, Cypriano, Nyſſeno, aliiſque Veteribus exploratiſſimum eſt. Alia tamen nonnulla peccata, quæ ſub tribus illis uti ſpecies continentur, publica pœnitentia multabantur; ut puta libellaticorum lapſus, & maleficia, atque divinationes, quæ

ſub idololatria comprehenduntur : falſum item teſtimonium, & occultorum criminum delatio, necnon excuſſio fœtus, & præparatio venefici i pœnis homicidio ſtatutis expiabantur; turpiſſimarum denique libidinum rei inter mœchos flagitioſiſſimi cenſebantur. Plura vero mortalia peccata publicæ penitentiæ minime ſubjecta fuerunt, ut avaritia, uſura, &c.

Hæc inſuper agendæ pœnitentiæ ratio imponebatur manifeſtis publicisque criminibus. Patet id ex Auguſtino, qui hom. quinquageſima inter 50. nunc ſerm. 351. c. 4. ita peccatorem gravibus delictis oneratum hortatur: *Veniat ad Antiſtites . . . & a Præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum . . . Ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videatur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat*. Additque S. Doctor, neminem ad publicam pœnitentiam adigi poſſe, *niſi aut ſponte confeſſum, aut aliquo ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum*. Idem tandem apparet ex Synodo Carthaginenſi III. anno 397. can. 32. & ex Vaſenſi I. anno 442. can. 8. aliiſque Conciliis, de quibus videndus eſt inter alios Sirmondus in Hiſtoria pœnit. publ. cap. 4.

Nonnulli tamen occultorum criminum rei, non canonum auctoritate coacti, ſed ſponte, & ex Sacerdotis conſilio, publicæ pœnitentiæ laboribus ſe ſubdebant. Unde Auguſtinus in ſerm. 144. de Temp. nunc 232. num. 8. ait: *Aliqui ipſi ſibi pœnitentiæ locum petierunt, aliqui excommunicati a nobis in pœnitentiæ locum redacti ſunt.*

ſunt. Scribit etiam Origenes hom. 2. in Pſal. 37. diligentius ſeligendum eſſe Sacerdotem, cui ſint aperienda peccata, qui *ſi intellexerit, & prævideri talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, ex quo fortaſſis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis periti Medici illius conſilio procurandum eſt*.

Hic præterea advertendum eſt, Morinum aliosque putaſſe, quod majores etiam Clerici primis tribus Eccleſiæ ſeculis ad ſubeundam publicam ejuſcemodi pœnitentiam tenerentur; poſt tertium vero ſeculum majores, non minores Clerici ab eo onere exempti fuerint, relicta nihilominus libertate, ut ſi vellent, publicam pœnitentiam ex pietate peragerent. At probabilior eſt aliorum opinio affirmantium nunquam majores Clericos publicæ pœnitentiæ fuiſſe ſubjectos. Patet id primo ex Carthaginenſi Concilio V. anno 398. quod canone 11. ita decrevit: *Confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit removere, non eis manus, tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis, imponatur*. Qui quidem canon non novam diſciplinam inducit, ſed *confirmat* antiquam.

S. item Leo in epiſt. 2. alias 92. ad Ruſticum c. 2. ita ſcribebat anno 443. *Alienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconii gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi: quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit ... Hujuſmodi lapſis, ad promerendam miſericor-*

 diam

diam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam ſ uctuoſa. Quæ ſane ſententia expoſitione non eget.

Tandem ut de aliis ſileamus, Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum n. 26. Donatiſtas redarguit, quod majores Clericos publicæ pœnitentiæ addixiſſent; quod ad ſua uſque tempora facere nemo præſumpſerat. *A vobis*, inquit, *occiſi ſunt in honoribus Dei Sacerdotes. Multis notum eſt, & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos inertia a confeſſione nominis Dei delapſos thurificaſſe: & tamen nullus eorum qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod a nullo factum eſt poſt thurificationem*. Quamvis itaque veriſſimum ſit, quoſdam majores Clericos ſponte publicam pœnitentiam ſubiiſſe, ut conſtat ex canone 4. Concilii I. Arauſicani anno 441. ex canone 29. Arelatenſis II. anno 457. & ex canone 12. Aurelianenſis I. anno 511. nunquam tamen compulſi illi ſunt ad eandem pœnitentiam peragendam.

Sciendum eſt etiam, publicam ejuſmodi pœnitentiam ſemel tantum fuiſſe conceſſam, neque amplius iteratam. Unde S. Ambroſius in lib. 2. de Pœnit. c. 10. ſcribit: *Merito reprehenduntur qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent; quia ſicut unum baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur*. Et S. Auguſtinus in epiſt. 54. nunc 153. ad Macedonium c. 3. ait: *Caute ſalubriterque proviſum eſt, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccle-*

cleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit. Etſi autem publica pœnitentia non niſi ſemel peragi poſſet; qui tamen eadem aut graviora ſcelera iterum perpetrabant, poterant per privatam pœnitentiam, ſaltem in fine vitæ, reconciliari pacemque recipere; ut eodem in loco docuit Auguſtinus.

Sed & Siricius Rom. Pontifex in epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum c. 5. cum conſultus ab iſto fuiſſet, qua ratione agendum cum iis foret qui poſt peractam pœnitentiam, tanquam canes, ac ſues, ad priſtinos vomitus & ad volutabra revertunt, ita reſpondit: *De quibus, quia jam ſuffragium non habent pœnitendi,* publice ſcilicet, *id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam Fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint: a Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.*

Poſtremo noſſe ſi cupias, quandonam expoſiti ſupra pœnitentiæ gradus in deſuetudinem apud Græcos Latinoſque tranſierint; legere id poteris apud P. Berti in parte altera lib. 34. c. 13. n. 3. neque prætereas Morinum *in Comment. hiſtorico de diſciplina in adminiſtratio-*

ne

ut ſacramenti pœnitentiæ : nos enim brevitati ſtudentes ſermonem ad utiliora convertimus.

CAPUT XV.

An bona opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcant?

DUo præcipui pœnitentiæ recenſentur effectus, peccatorum nempe remiſſio, & reviviſcentia meritorum. Quod peccata per pœnitentiam deleantur, ſatis ſuperque perſpicuum eſt ex dictis in lib. 23. ubi de juſtificatione tractavimus, necnon ex iis quæ hoc ipſo in libro tradidimus, de materia & forma hujus Sacramenti, ac de ejuſdem efficacia diſputantes. Reſtat nunc itaque, ut breviter de altero effectu loquamur.

Quadruplex operum genus diſtingui poteſt in homine. Alia enim viva dicuntur, quæ ab habituali gratia, ſive charitate procedunt : alia mortifera nuncupantur, quæ mortem animæ afferunt, vitam gratiæ adimendo, cujuſmodi ſunt peccata : alia vocantur mortua, quæ homo elicit gratia ſanctificante privatus ; ea tamen omnino mortua dici nequeunt, ſi actualis gratiæ auxilio perpetrentur, cum per eadem poſſit homo ad juſtitiam ſe diſponere. Alia demum mortificata vocantur, quæ facta fuerant ab homine juſto, ideoque ad gloriam jus habebant ; ſed mortali ſuperveniente peccato ; homo qui ſibi jus illud meritumque paraverat, ab eo ex-

cidit, nec poteſt fructum ejuſdem operis adipiſci.

Certum profecto eſt, quod mortifera opera reviviſcere nequeant, cum ex ſuis intrinſecis gratiæ ſanctificanti ſeu vivificanti repugnent. Neque reviviſcere poſſunt opera mortua; quod enim nunquam vixit, reviviſcere omnino non poteſt; proindeque quemadmodum ejuſmodi opera nunquam meritum ad æternam vitam habuerunt, ita neque eo modo reviviſcere queunt, ut illis æternæ vitæ retributio debeatur. De ſolis itaque mortificatis operibus quæſtio hic movetur, utrum nempe illa per ſubſequentem pœnitentiam reviviſcant, non ita quidem, ut ſuum iterum eſſe recipiant, quod in tranſeunte actione conſiſtit; ſed ut effectum ſuum obtineant, reparentque jus illud, quo de condigno vitam merebantur æternam.

Propoſitio. Bona Juſtorum opera per peccatum mortificata, ſubſequentis pœnitentiæ beneficio reviviſcunt.

Probatur. Joelis c. 2. v. 25. peccatoribus quos ad converſionem invitat, ait Deus: *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca.* Super quæ verba Gloſſa interlinearis hæc habet: *Non patiar perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amiſiſtis.* Atqui ubertas illa eſt multitudo bonorum operum, quorum meritum amiſſum fuerat per peccatum. Si ergo Deus illam perire non patitur, dicendum eſt, quod opera bona per culpam mortificata, per pœnitentiam reparentur. Unde Hieronymus in eundem Joelis locum inquit: *Annos, quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera veſtra locu-*

ſta,

ſta , & bruchus , rubigo , erucaque conſumpſerunt , Deus vobis perire non paſſus eſt ; tunc comedetis fructus juſtitiæ : &c.

Deinde Apoſtolus ad Galatas 3. v. 3. eos redarguens, qui Chriſti fide ſuſcepta, pluribuſque meritis comparatis ad Moſaicæ legis reverſi fuerant ſervitutem, ait: *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa?* In quem locum inquit Hieronymus: *Quicumque ob Chriſti fidem laboraverit, & poſtea lapſus fuerit in peccatum, ſicut priora ſine cauſa dicitur paſſus fuiſſe dum peccat; ſic rurſus non perdit ea, ſi ad priſtinam fidem, & ad antiquum ſtudium revertatur.* Itemque Chryſoſtomus ait: *Si volueretis expergiſci, & revocare vos ipſos, non fruſtra paſſi fueritis.* Ac tandem Anſelmus ſic exponit: *Sine cauſa paſſi eſtis, ſi in hoc errore perſeveretis; non ſine cauſa, ſi reſipiſcatis.*

Idem inſuper Apoſtolus ad Hebr. 6. v. 10. ſcribit: *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri;* quæ ſane propoſitio cum univerſalis ſit & indefinita, opera per peccatum mortificata nequaquam excludit. Hinc in cap. *Intermittentes, de pœnitentia diſt.* 4. poſt citata Pauli verba ſubjungitur: *Hæc* (bona ſcilicet opera, *quæ per ſequens peccatum erant mortua*) *ſicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reviviſcunt, & ad meritum æternæ beatitudinis ſingula prodeſſe incipiunt.*

Roboratur denique communiſſima hæc Theologorum aſſertio ratione, quam profert Seraph. Doctor in 4. d. 14. p. 2. a. 2. q. 3. *Opera bona facta prius, digna erant remuneratione æterna: ſed quod huic non remunerentur, hoc eſt, quia iſte*

non

non perſeverat in gratia : ergo ſi iſte reſurgit , & perſeverat in gratia , opera illa remunerabuntur ; ergo &c.

Præterea, *plus poteſt gratia pœnitentiæ, quam culpa : ſed culpa opera viva mortificat : ergo gratia mortificata vivificat.*

Objicies 1. Ezechielis c. 18. v. 24. legitur : *Si autem averterit ſe juſtus a juſtitiā ſua , & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes , quas operari ſolet impius , numquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus , quas fecerat , non recordabuntur .* Ergo bona opera ita per mortale peccatum mortificantur, ut pereant, & a Deo prorſus oblivioni mandentur.

Reſp. objectum teſtimonium accipiendum eſſe de juſto, qui ita a juſtitia ſe avertit, ut in peccato ad mortem uſque perſiſtat ; nam poſt ea verba ſubjungitur : *In prævaricatione qua prævaricatus eſt , & in peccato ſuo quod peccavit , in ipſis morietur .* Ceterum ſi ille pœnitentiam egerit, *ipſe animam ſuam vivificabit , & non erit ei in ruinam iniquitas* , ut ibidem legitur vv. 27. & 30. tunc itaque bona opera per peccatum mortificata redibunt.

Inſtabis. Ita Deus dicitur non recordari bonorum operum, quæ ante peccatum homo patraverat , ſicuti dicitur non recordari operum malorum, quæ ante converſionem ſuam homo commiſerat . *Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum ejus , quas operatus eſt , non recordabor* : ibidem vv. 21. & 22. Atqui peccata per pœnitentiam dimiſſa per ſubſequens peccatum non redeunt ; ergo & bona opera per peccatum mortificata per ſubſequentem pœnitentiam minime reviviſcunt.

Reſp.

Reſp. quod non recordari iniquitatum eſt eas æterna pœna non punire, & non recordari juſtitiarum eſt eis æternum præmium non conferre; quod utique verum eſt, quotieſcunque juſtus in juſtitia, & impius in impietate perſiſtunt. At ſi impius revertatur ad Dominum, iſte bonorum ejus operum recordatur, quia, ut ait S. Thomas in p. 3. q. 89. a. 5. ad 1. *opera in charitate facta non abolentur a Deo, in cujus acceptatione remanent; ſed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis; & ideo remoto impedimento, quod eſt ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte ſua illud, quod opera merebantur*. Si vero juſtus a Deo recedat, priorum ejus iniquitatum non recordatur Deus, quia, ut ibidem inquit S. Doctor, *opera peccati per pœnitentiam abolentur ſecundum ſe; ita ſcilicet, quod ex eis ulterius, Deo indulgente, nec macula, nec reatus inducatur*.

Idem quoque hac in re diſcrimen aſſignat Seraph. Doctor in 4. d. 22. a. 1. q. 1. inquiens, „ quod aliud eſt bona opera mortificari, aliud „ peccata deleri. Bona namque opera mortificantur, non quia eſſe deſinant; ſed quia reputantur indigna remuneratione æterna propter indignitatem ſolum peccantis. Sed peccata deleri, vere dicit peccati expulſionem, „ & remotionem talis vitii ab anima.

At urgebis, Omne meritum, & jus ad gloriam in gratia ſanctificante fundatur; Mortale vero peccatum gratiam ſanctificantem extinguit: Idem ergo peccatum irreparabiliter aufert omne meritum, & jus ad gloriam; non ſecus ac gratia ſanctificans omnino delet mortale peccatum. Sicut itaque Deus non recorda-

datur iniquitatum &c, ita neque bonorum operum &c.

Reſp. jus quidem proximum ad gloriam in gratia ſanctificante fundari, quæ omnis meriti de condigno principium eſt. At jus remotum quod ad gloriam habent bona opera per peccatum mortificata, ſubſiſtit in voluntate divina, quæ ſtatuit mercedem eis pro ſua liberalitate rependere, ſi juſtus poſt lapſum pœnitere non negligat: tunc enim ſicut reſtituitur illi gratia ſanctificans, ita redditur etiam jus proximum quod merita per peccatum mortificata habebant ad gloriam.

Objicies 2. Etſi Adam pœnitentiam egerit poſt peccatum, originalem tamen juſtitiam recuperare non potuit, Virginitas etiam ſemel amiſſa minime reparatur, Qui denique peccando innocentiam labefactant, irreparabili illam jactura deperdunt. Falſum eſt itaque præcedentia merita per pœnitentiam reſarciri.

Reſp, originalem juſtitiam, virginitatem, & innocentiam, præter jus ad gloriam in gratia ſanctificante fundatum, aliquid aliud præſeferre. Nam juſtitia originalis importat primordia cujuſque labis expertia, ac mentis & carnis tranquillitatem; virginitas integritatem corporis incorruptam; & innocentia probitatem vitæ nullo adhuc vitio temeratam, Hæc utique irreparabili jactura perduntur, quoniam fieri non poteſt, ut qui peccavit, non peccaverit, & qui aliquid amiſit, haudquaquam amiſerit. Verum id non tenet de merito, quod bonis operibus tranſeuntibus perſeverat in juſto, atque inſtauratur in pœnitente. Tria enim ad meritum, quantum ad præſens attinet, requi-

quiruntur; opera libera ac ſupernaturalia quibus comparatur; ſanctificans gratia per quam habet vitam, dignitatem, & perfectionem; ac inviolabilis Dei promiſſio, qua ſe idem meritum acceptare, & remunerare ſpopondit. Recuperata itaque gratia, divinaque promiſſione manente, meritum partim ex Dei miſericordia partim ex juſtitia reviviſcit. Ex miſericordia, quidem, tum quia ſingulari gratiæ beneficio Deus juſtificat impium, tum etiam quia cum hominem ob peccatum privare potuiſſet omni jure, quod ex præcedentibus meritis habebat ad gloriam, non privavit; ſed ſeipſum eorum etiam meritorum debitorem pro ſua liberalitate conſtituit: ex juſtitia autem, nam æquum eſt, ut quæ promiſit, adimpleat; eſt enim Deus in ſua promiſſione fidelis.

Quidam Theologi ſentiunt merita de quibus loquimur, per ſubſequentem juſtificationem non reviviſcere ad ſubſtantiale beatitudinis præmium, ſed dumtaxat ad accidentale, ad aliquod nempe gaudium, quod capiet pœnitens ex bonis operibus ante peccatum elicitis. Plures vero Thomiſtæ concedunt quidem merita reviviſcere etiam quoad præmium eſſentiale; non tamen quoad totum, ſed ſolum juxta proportionem contritionis, vel diſpoſitionis, qua quis a peccato reſurgit. At Scotiſtæ aliique quamplures affirmant merita reſurgere non tantum juxta diſpoſitionem quam habet pœnitens, verum etiam quoad totum jus, quod reſpectu præmii eſſentialis habuerunt ante peccatum. Hæc poſterior opinio etiam nobis arridet. Nulla enim adduci ratio poteſt, cur merita ſecundum totum ſuum valorem minime reviviſcant; nam pœ-

pœnitentia per quam illa redeunt, aliud non efficit, quam removere prohibens, nempe peccatum, per quod eadem merita mortificata fuerunt: cum ergo per ſequentem juſtificationem (quæcunque tandem pœnitentis contritio, vel diſpoſitio eſſe dicatur) peccatum penitus auferatur; affirmandum profecto eſt, merita mortificata redire quoad omne jus, quod ante peccatum eis ad eſſentialem gloriam debebatur. Id inſuper laudati in probatione textus evincunt. Ac poſtremo niſi verum id eſſet, ſequeretur, quod homo qui per totam vitam ſanctiſſime vixit, & poſtea in unum peccatum mortale prolabitur, eundem eſſentialis gloriæ gradum acquireret, ac alter, qui totam vitam ſuam flagitioſe traduxit, ſi uterque æqualem ageret pœnitentiam; quod profecto non credam.

Ex dictis infertur etiam, quod gratia prioribus meritis debita, & per peccatum amiſſa, per ſequentem juſtificationem tota reddatur, in quocunque diſpoſitionis gradu pœnitens convertatur. Gloria namque confertur juxta menſuram gratiæ, quæ meritis dat valorem: nequeunt ergo reſurgere merita ſecundum jus, quod habent ad gloriam, niſi reſurgat & gratia iiſdem meritis correſpondens.

Confirmatur hæc ratio. Jus ad gloriam fundatur in gratia: ergo jus ad majorem gloriam in majori gratia fundari dicendum eſt; proindeque cum per ſubſequentem juſtificationem reparantur merita, debet & tota gratia ipſis meritis debita reparari. At hac de re plura leges apud Maſtrium, ceteroſque Scotiſtas.

Notandum hic poſtremo cenſemus, quod ex ſæpe dictis in hoc libro evidenter appareat,

non poſſe pœnitentiæ ſacramentum eſſe ſimul validum, & informe, uti plures Thomiſtæ, aliique contendunt. Validum enim dicitur ſacramentum, quod qualibet eſſentiali parte componitur: informe vero, quod ſanctificantem gratiam reipſa non confert. Atqui quotieſcunque ſacramentum pœnitentiæ eſſentiales partes ſuas habet, non poteſt ſanctificantem gratiam non conferre. Nam partes illæ, ac materia ſunt ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio; & contritio quidem *animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero*, uti Synod. Tridentina definit in ſeſſ. 14. cap. 4. itemque confeſſio talis eſſe debet, ut pœnitens *in ſpecie ac ſigillatim* Sacerdoti omnia mortalia peccata ſua declaret, *quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habet*, uti laudata Synodus affirmavit eadem in ſeſſ. cap. 5. Jam vero vel in pœnitente hujuſmodi contritio, & confeſſio reperitur, vel non: ſi iſtud affirmes, deerunt præcipuæ ſacramenti partes, quæ materiæ locum tenent, proindeque non erit validum ſacramentum: ſi autem adſit talis contritio, taliſque confeſſio, nullum eſſe poteſt impedimentum ad gratiam obtinendam. Vide P. Berti in appendice ad cap. 3. in parte altera libri 34. & P. Maſtrium in 4. diſp. 5. q. 14. copioſe pro hac ſententia diſſerentem.

DE

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XXXII.

Ubi de Indulgentiis, Cenſuriſque diſſeritur.

CŒleſtis Regni claves, quas Dominus noſter Jeſus Chriſtus Beatiſſimo Apoſtolorum Principi, Eccleſiæque ſuæ conceſſit, non ſolum facultatem continent remittendi, vel retinendi peccata per abſolutionem, vel per retentionem abſolutionis in Sacramento Pœnitentiæ, de quo in ſuperiori libro tractatum eſt; verum etiam poteſtatem includunt infligendi pœnas excluſionis a communione ſacramentorum, eaſque relaxandi, ſive iterum in Eccleſiam recipiendo expulſos, ſive ſolvendo eos a temporali pœna; quæ in hac, vel in altera vita remanet ſubeunda pro culpa, cui ſatisfactum integre pleneque non fuit. Iſtud Eccleſia præſtat per indulgentias, illud autem per cenſuras, de quibus hoc in libro qui præcedentis libri velut appendix eſt, breviter diſſeremus.

CAPUT I.

Num Eccleſia poteſtatem habeat indulgentias conferendi?

INdulgentiæ nomen generatim acceptum denotat juris alicujus remiſſionem, per quam jus ipſum quodammodo relaxatur. Hic autem proprie ſumitur, deſignatque condonationem temporalis pœnæ, quæ poſt expunctum culpæ & æternæ penæ reatum ſupereſt eluenda. Quapropter deſcribi ita indulgentia poteſt: Eſt remiſſio pœnæ temporalis quæ poſt condonatam culpam æternamque pœnam remanet expianda; fitque extra pœnitentiæ ſacramentum ab eo qui poteſtatem habet ſpiritualem Eccleſiæ theſaurum diſpenſandi.

Propoſitio 1. Habet Eccleſia poteſtatem indulgentias largiendi. Eſt fidei dogma contra Waldenſes, Lutheranos, & Calviniſtas.

Probatur. Matthæi 18. v. 18. Chriſtus ait Apoſtolis: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*. Per hæc autem Chriſti verba Apoſtolis, eorumque in futura tempora Succeſſoribus eſt collata poteſtas imponendi pœnitentibus ſatisfactiones, eaſdemque ad illas obligandi, ut in cap. 12. & 13. præcedentis libri monſtravimus, ipſo etiam non diſſentiente Calvino in lib. 4. Inſtitut. c. 12. Ergo ſimiliter eſt

Con-

conceſſa facultas impoſitas vel imponendas ſatisfactiones ex rationabili cauſa relaxandi. Sicut enim illud ad ligandi, ita & iſtud ad ſolvendi pertinet poteſtatem.

Hujuſce poteſtatis uſum illuſtri exemplo indicavit Apoſtolus ſcribens ad Corinthios epiſt. 2. c. 2. v. 6. *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt*. Jubet itaque Paulus, ut inceſtuoſo illi Corinthio jam pœnitenti aliquid de rigore injunctæ pœnitentiæ remittatur, ne forte nimia vindictæ auſteritate in deſperationem inductus, Chriſtianam deſerat religionem. Ea igitur donatio, ſeu condonatio, cujus meminit Apoſtolus, non aliud fuit, quam indulgentiæ conceſſio, de qua rurſum v. 10. ſubjicit: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur a ſatana*. Ubi per hoc quod ait, *In perſona Chriſti*, demonſtrat ſe eam donandi indulgendique poteſtatem a Chriſto accepiſſe, & Chriſti vice exercere, quemadmodum in 1. ad Cor. c. 5. v. 4. *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti* eundem fornicarium ſatanæ ſe tradidiſſe teſtatur.

Hunc autem Apoſtolicæ ſententiæ ſenſum eſſe declarat Chryſoſtomus hom. 4. in 2. ad Cor. inter alia ita ſcribens: *Non enim quod dignus ſit, neque quod ſufficientem exhibueris pœnitentiam, ſed quod infirmus ſit, ideo, inquit, dignor illum venia. Unde & adjecit: Ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. Qui ſermo declarat illius vehementem pœnitentiam, quem Paulus non ſit* *paſ-*

paſſus in deſperationem venire. Et infra: *Ea ex re docemur quod non ſolum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam*. Similia quoque ſcribunt Theodoretus, Theophilactus, Œcumenius, aliique Græcorum.

Ex Latinis vero Pacianus in epiſt. 3. ad Sympronianum laudata Pauli verba producit, aitque: *Vides Apoſtoli indulgentiam, proprias etiam ſententias temperantem? vides mitiſſimam lenitatem longe a veſtro ſupercilio ſeparatam, longe a Novatiani fronte diſſimilem; communi vero vitæ ac ſaluti omnium conſulentem?* Eandem denique expoſitionem citato textui tribuunt SS. Ambroſius, Anſelmus, Thomas, Bonaventura, ceterique omnes.

Hunc ipſum relaxandæ pœnitentiæ morem ab Apoſtolis acceptum deinceps ſervavit Eccleſia. Legitur enim apud Tertullianum in lib. ad Martyres c. 1. quoſdam pacem in Eccleſia nondum habentes, eam exorare conſueviſſe a Martyribus in carcere conſtitutis. Nam cum lapſi fuiſſent, & pœnitentiæ tempus nondum impleſſent, Martyrum interceſſione condonationem reliquæ pœnitentiæ ab Eccleſia impetrabant; atque ita ſtatim admittebantur ad pacem, ideſt reconciliationem, quæ niſi peracta prius pœnitentia non dabatur. Idem vero Tertullianus poſteaquam ad Montaniſtarum ſectam deflexiſſet, in lib. de Pudicitia cap. ultimo Catholicæ Eccleſiæ id vitio vertit quod ante laudaverat; nempe quod ad Confeſſorum ſeu Martyrum petitionem relaxata lapſis pœnitentia pacem daret: at ex hoc etiam loco colligitur jam tunc in Eccleſia conſuetudinem viguiſſe lapſis

pœ-

pœnitentiæ partem aliquam condonandi.

Conſtat id inſuper ex Cypriano, qui Chriſti Martyres erudivit circa legitimum indulgentiarum uſum, quas ajebat iis dumtaxat eſſe concedendas, quorum pœnitentia ſatisfactioni proxima erat, non aliis qui propter Martyrum libellos ſtatim paci ac communioni reſtitui temere poſtulabant, antequam eorum cauſa, merita, & opera diſcuſſi fuiſſent. Si tamen periculum mortis urgeret, jubet S. Doctor iiſdem lapſis pacem eſſe donandam: inquit enim in epiſt. 13. alias 18. *Qui libellos a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologeſi facta & manu eis in pœnitentiam impoſita cum pace a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur.*

Eandem denique concedendæ indulgentiæ praxim perpetuo in uſu fuiſſe liquet ex antiquis, innumeriſque Conciliis; utputa ex Nicæno I. Ancyrano, Neocæſarienſe, Laodiceno, Carthaginenſe IV. &c. necnon ex Innocentio I. Leone Magno, Vigilio, Gregorio I. aliiſque quos Bellarminus, Eſtius, plureſque Theologi hac in quæſtione commendant. Nobis autem quæ hucuſque diximus abunde ſunt ſatis, ut oſtendatur omni cum veritate Synodum Tridentinam ſeſſ. 25. *in Decreto de Indulgentiis* hæc ſcripſiſſe: *Cum poteſtas ferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit; ſacroſancta Synodus indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate*

 pro-

probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant.

Propoſitio 2. Indulgentiæ Chriſti, Sanctorumque meritis ac ſatisfactionibus innituntur.

Probatur. Et primo quidem indulgentias Chriſti meritis inniti luculenter oſtenditur ex eo quod etſi illæ abſolutionem importent, non ita tamen ut omnem ſolutionis rationem excludant. Atqui nullam Deus ſolutionem admittit, niſi ex Chriſti meritis illa exhibeatur, ſeu niſi merita Chriſti ſint ipſummet hujuſmodi ſolutionis pretium: ut enim Joannes ait in epiſt. 1. c. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Hinc Clemens VI. in Extravaganti, *Unigenitus*, inquit, Chriſtum ſuperabundanti ſua paſſione infinitum theſaurum militanti Eccleſiæ reliquiſſe, ſubditque: *Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per Beatum Petrum Cœli Clavigerum, ejuſque Succeſſores ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum.*

Quod vero Sanctorum etiam meritis ac ſatisfactionibus indulgentiæ fulciantur, conſtat ex fidei articulo de communione Sanctorum. Per hanc enim fit, ut ſicut in corpore naturali unum membrum, quod ſibi ſuperabundat, communicat alteri; ita in myſtico Eccleſiæ corpore aliorum merita, & paſſiones, quæ illis ſuperabundant, membris aliis communicari valeant, & prodeſſe. Hinc Apoſtolus in 2. ad Cor. c. 8. vv. 14. & 15. adhortans eos, qui tere-

renis opibus abundabant, ut eleemoſynam large conferrent in Sanctos quoſdam, ſecundum ſeculum quidem inopes, at divites apud Deum, fore promittit, ut ſpiritualis horum abundantia ſuppleat illorum inopiam, ut quibus ad propitiandum Deum propria opera minus ſufficiunt, ad id alienorum operum communione juventur: ob quam etiam rationem Martyres, qui meritis affluebant, lapſis illa communicabant; ut qui de ſuo ſatisfacere non poterant, ſatisfacerent de alieno.

Merita ergo Sanctorum, qui plus aliquid paſſi ſunt, quam meruerant, aut divina juſtitia exigebat, ſecundario ſaltem ad Eccleſiæ theſaurum pertinent, aliiſque membris proſunt, cum ab ejuſdem Eccleſiæ Præſulibus applicantur. Unde in citata Clementis Extravagante ſubjungitur: *Ad cujus quidem theſauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum, a primo juſto uſque ad ultimum, merita adminiculum præſtare noſcuntur: de cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.*

Objicies 1. contra 1. propoſ. Inferior abſolvere non poteſt ab eo, ad quod ſuperior obligavit: atqui Deus dum abſolvit a culpa, obligat ad pœnam aliquam temporalem: nemo itaque poteſt de pœna illa aliquid relaxare.

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 20. p. 2. a. 1. q. 2. quod hac in re inferior *non abſolvit omnino condonando, ſed pro eo ſolvendo de Eccleſiaſtico theſauro*: *vel poteſt dici, quod inferior* pe-

poteſt abſolvere ab eo, ad quod ligat ſuperior, ſi ad hoc data eſt ſibi auctoritas a ſuperiori, ſicut patet: & talis auctoritas a Chriſto data eſt ipſis Rectoribus Eccleſiæ.

Inſtabis. Rectoribus Eccleſiæ non eſt data auctoritas in deſtructionem, ſed in ædificationem: atqui ad deſtructionem pertinet, quod tollatur ſatisfactio, quæ ad utilitatem noſtram inducta eſt, in quantum remedium præbet: ergo &c.

Reſp. cum S. Thoma in ſuppl. q. 25. a. 1. ad 4. „ quod majus remedium præbetur contra „ peccata vitanda ex gratia, quam ex aſſuetudi- „ ne noſtrorum operum: & quia ex affectu „ quem accipiens indulgentias concipit ad cau- „ ſam pro qua indulgentia datur, ad gratiam „ diſponitur; ideo etiam per indulgentias re- „ medium ad peccata vitanda datur: & ita „ non eſt in deſtructionem indulgentias dare, „ niſi inordinate dentur. Tamen conſulendum „ eſt eis, qui indulgentias conſequuntur, ne „ propter hoc ab operibus pœnitentiæ injun- „ ctis abſtineant, ut etiam ex his remedium „ conſequantur, quamvis a debito pœnæ eſ- „ ſent immunes; & præcipue quia quandoque „ ſunt plurium debitores quam credant.

At urgebis. Ad excellentiæ poteſtatem ſpectat, ut ſine ſacramentis tradatur effectus, quem ſacramenta producunt: nemo autem in ſacramentis habet excellentiæ poteſtatem, niſi ſolus Chriſtus: cum ergo ſatisfactio ſit pars ſacramenti pœnitentiæ, operans ad pœnæ debitæ dimiſſionem, dicendum eſſe videtur, quod Eccleſiæ Rectores nequeant debitum pœnæ ſine ſatisfactione dimittere.

Reſp.

Reſp. cum eodem S. Doctore ad 3. „ quod
„ effectus ſacramentalis abſolutionis eſt dimi-
„ nutio reatus : & hic effectus non inducitur
„ per indulgentias, ſed pro eo faciens indul-
„ gentias ſolvit pœnam, quam debuit, de bo-
„ nis Eccleſiæ communibus.

Objicies 2. contra 2. propoſ. Chriſti merita & paſſiones abunde ſufficiunt remiſſioni omnium peccatorum totius humani generis, quoad culpas pariter & pœnas : Fruſtra igitur impieque recurritur ad Sanctorum merita & paſſiones, quaſi per eas aliquid Chriſti meritis ac paſſionibus ſuppleatur.

Reſp. argumentum iſtud noſtris etiam ſatisfactionibus eſſe commune, proindeque idem reponendum hic eſt, quod de ſatisfactionibus noſtris Synodus Tridentina reponit ſeſſ. 14. cap. 8. Sanctorum ſcilicet paſſiones totum id quod ad redimenda fidelium peccata valent, non niſi per Chriſtum Jeſum accipere, quo cooperante Sancti omnia poſſunt : ideoque omnis eorum gloriatio in Chriſto eſt, in quo vivunt, in quo merentur, in quo etiam pro aliis ſatisfaciunt per paſſiones ſuas, quæ ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Quamvis ergo meritum paſſionis Chriſti per ſe abunde ſufficiat peccatis pœniſque omnibus abolendis, voluit tamen ille ſicut meriti, ita & ſatisfactionis dignitatem, per eandem paſſionem ſuam, etiam aliis communicare. Sic enim honorabitur, quem Rex honorare voluerit. Unde Auguſtinus tract 47. in Joannem de Chriſto ait : *Pretioſus ſanguis eſt illius ſine peccato, fecit tamen ipſe etiam ſuorum ſanguinem pretioſum, pro quibus dedit ſanguinis pretium.* In-

Inſtabis. SS. Patres hominum redemptionem, & peccatorum remiſſionem ita ſolius Chriſti ſanguini & morti tribuunt, ut eam a Martyribus, aliiſque Sanctis amoveant. Ita præ ceteris Auguſtinus tract. 84. in Joan. inquit: *Etſi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem nullius ſanguis Martyris funditur, quod fecit ille pro nobis.* Item Ambroſius lib. 6. in Lucam n. 107. ſcribit: *Aliæ cruces nihil mihi proſunt, ſola crux Chriſti mihi utilis eſt.* Eadem leges apud Leonem epiſt. 83. Fulgentium ſerm. de Epiphania Chriſti, &c.

Reſp. Patrum dicta hunc ſenſum habere, quod nemo ſanctorum Martyrum morte ſua tantum poſſit pretium exhibere, quod per ſe debitum æternæ mortis exſolvat, & pro pœna æterna peccato debita ſatisfaciat. Unde bene dicit Ambroſius, aliam crucem ſibi non prodeſſe; quia aliæ cruces nobis utiles eſſe non poſſunt, niſi per crucem Chriſti, in qua ſola gloriari nos oportere affirmat Apoſtolus ad Galatas c. 6. cum in ea ſola ſit ſalus, vita, & reſurrectio noſtra. At ſicuti unicuique ſua etiam crux aliquo modo utilis eſt, dicente Domino Matth. 16 v. 24. *Tollat crucem ſuam, & ſequatur me:* ita ſimiliter Sanctorum cruces, ſive paſſiones ac merita, per Chriſti crucem nobis utiles eſſe poſſunt.

Objicies 3. Sanctis nihil meritorum aliqua ex parte redundat, juxta illud quod prudentes Virgines in perſona omnium Sanctorum dicunt ad fatuas, Matth. 25. *Ne forte non ſufficiat nobis, & vobis.* Quare S. Auguſtinus quæſt. 59. inter 83. inquit: *Vix ſibi quiſque ſufficit, ut ei teſtimonium perhibeat conſcientia ſua.*

De-

Deinde etiamſi Sanctis meritum aliquod redundaret, propter opera quæ ſupererogationis appellantur; condignum tamen, & ſupra condignum pro iis omnibus præmium a Deo recipiunt: nihil ergo eis ſupereſt, quod in alios conferatur. Idemque de ſatisfactione dicendum eſt: nam etſi qui innocenter vixerunt, non indiguerint ſatisfactione, atque ita ſatisfactio ut talis eis redundare videatur, attamen ſatisfactionis ratio fuit eis in remunerationem gloriæ commutata.

Reſp. unum idemque bonum opus puta jejunium, ſimul & meritorium eſſe, quatenus ex charitate procedit, & eſſe ſatisfactorium, quatenus eſt pœnale. Licet itaque bona Sanctorum opera quatenus ſunt meritoria, plenam mercedem obtineant; quatenus tamen ſatisfactoria ſunt, plus aliquando pœnarum divinæ juſtitiæ ſolvunt, quam ſolvere teneantur; & ideo quæ in eis ſuperabundant ac ſuperfluunt ſatisfactiones, nobis ad temporalis pœnæ remiſſionem per indulgentias applicantur: atque ita quorundam Martyrum paſſiones ipſis ſuperabundaſſe non immerito dicitur; cum enim vitam duxerint innocentem, plurima & atrociſſima pertulere tormenta.

Quod vero de prudentibus Virginibus objectum eſt, *Ne forte, &c.* interprete Auguſtino in citato loco ſignificat eos, qui bonam quidem conſcientiam habent, certi tamen non ſunt, quod ea ſibi in Dei judicio ſufficere poſſit; denotatque unumquemlibet dum vivit, ignorare, an ſatisfactiones pro peccatis propriis non neceſſariæ ſibi revera ſuperſint: Vel, ut ait Hieronymus in c. 25. Matthæi declarat, in

in die judicii non poſſe aliorum virtutes aliorum vitia ſublevare, ſed unumquemque de proprio fore ſollicitum: Vel denique ut Chryſoſtomus inquit hom. 5. in Matthæum, ea verba, *Ne forte*, *&c.* diriguntur adverſus eos, qui aliorum meritis confidentes, ipſi nihil boni agunt, quo juvari aliorum ſubſidiis mereantur.

Finem poſtremo hic facimus exſcribendo S. Thomæ doctrinam ex quæſt. 25. ſuppl. a. 1. in reſponſ. qua ſuperius dicta, & inferius dicenda lumen roburque recipiunt. Indulgentiæ, inquit S. Doctor, „ valent & quantum ad forum Ec-„ cleſiæ, & quantum ad judicium Dei ad re-„ miſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem, „ & confeſſionem, & abſolutionem, ſive ſit „ injuncta, ſive non. Ratio autem, quare va-„ lere poſſint, eſt unitas corporis myſtici, in „ qua multi in operibus pœnitentiæ ſuperero-„ gaverunt ad menſuram debitorum ſuorum; „ & multas etiam tribulationes injuſtas ſuſti-„ nuerunt patienter, per quas multitudo pœ-„ narum poterat expiari, ſi eis deberetur: quo-„ rum meritorum tanta eſt copia, quod omnem „ pœnam debitam nunc viventibus excedunt: „ & præcipue propter meritum Chriſti, quod „ etſi in ſacramentis operatur, non tamen ef-„ ficacia ejus in ſacramentis includitur, ſed ſua „ infinitate excedit efficaciam ſacramentorum. „ Dictum eſt autem ſupra (q. 13. a. 5.) quod „ unus pro alio ſatisfacere poteſt: Sancti au-„ tem in quibus ſuperabundantia operum ſatiſ-„ factionis invenitur, non determinate pro iſto, „ qui remiſſione indiget, hujuſmodi opera fe-„ cerunt (alias abſque omni indulgentia re-„ miſſionem conſequeretur) ſed communiter

„ pro

„ pro tota Eccleſia, ſicut Apoſtolus ait ſe
„ *adimplere ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in*
„ *corpore ſuo pro Eccleſia* ad quam ſcribit Co-
„ loſſ. 1. & ſic prædicta merita ſunt communia
„ totius Eccleſiæ. Ea autem quæ ſunt alicujus
„ multitudinis communia, diſtribuuntur ſingu-
„ lis de multitudine, ſecundum arbitrium ejus
„ qui multitudini præeſt. Unde ſicut aliquis
„ conſequeretur remiſſionem pœnæ, ſi alius
„ pro eo ſatisfeciſſet; ita ſi ſibi ſatisfactio al-
„ terius per eum qui poteſt, diſtribuatur.

CAPUT II.

De Indulgentiarum eſſentia, diviviſione, & valore.

QUomodo deſcribi indulgentia poſſit, ex dictis in ſuperiori capite manifeſtum eſt. Remanet nunc notandum, quod indulgentia, quæ vivis conceditur, ſit judiciaria abſolutio, annexam habens ex theſauro ſolutionem. Niſi enim abſolutio eſſet, non requireret in conferente juriſdictionem; proindeque nihil obſtaret, quin Epiſcopus indulgentias iis etiam qui ſibi ſubditi non ſunt, conferre valeret; quod tamen Alexandri III. decreto repugnat cap. *Quod autem, de pænit. & remiſſ.* ubi ait: *Quod cum a non ſuo judice ligari nullus valeat, vel abſolvi; indulgentiæ ſolis illis proſunt, quibus proprii judices eas indulſerunt.* Hæc autem verba non obſcure clavium indicant poteſtatem, qua

qua cum qui indulgentiam confert, non utatur ad ligandum, conſequens eſt, ut ad abſolvendum utatur. Indulgentia igitur judiciariæ abſolutionis rationem involvit, quæ in clavium poteſtate fundatur, dicente Chriſto Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*; & Matth. 18. v. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*. Atque per hoc diſtinguitur indulgentia a modo juvandi per ſuffragia; quod illa dumtaxat ab habente poteſtatem juriſdictionis conferri valeat, fieri autem modus alter poſſit per privatam etiam auctoritatem.

Quod vero indulgentia non ſit ſola abſolutio, ſed etiam cum ſolutione jungatur, indubium eſt. Qui enim indulgentias elargitur, non ſe gerit ut dominus proprio arbitrio relaxans pœnas, ſed ut judex, qui tradita ſibi poteſtate reum quidem abſolvit; ita tamen ut per applicationem meritorum Chriſti, & Sanctorum divinæ juſtitiæ ſatisfiat, & ſic debitum quod reus de proprio tenebatur ſolvere, compenſetur; uti etiam Clemens VI. aſſeruit in Extravaganti, *Unigenitus*. Recole quæ ſuperiori in capite dicta ſunt.

Sed jam de indulgentiarum diviſione loquamur. Indulgentia itaque in totalem, partialemque diſtinguitur: illa ſufficit, ut tollatur tota temporalis pœna, quæ poſt dimiſſam culpam luenda remanſit: iſta vero ſatis eſt ad partem dumtaxat temporalis pœnæ donandam.

Jubilæum ab indulgentia plenaria ſolum differt ratione privilegiorum, quæ eidem jubilæo junguntur; uti ſunt diſpenſatio in quibuſdam votis, & juramentis, abſolutio a caſibus, cenſu-

ſuriſque reſervatis, &c. Præter autem celebrem indulgentiam jubilæi, quod juxta hodiernam praxim recurrente quolibet vigeſimo quinto anno recolitur, datur & indulgentia dicta ad inſtar jubilæi, quam Romani Pontifices extra annum illum gravibus quibuſdam ex cauſis conferre ſolent cum iiſdem privilegiis, quibus gaudent indulgentiæ jubilæi.

Indulgentia partialis ad certum numerum dierum, vel annorum condonatæ pœnitentiæ limitatur. Porro dies illi, vel anni non ita referendi ſunt ad Purgatorii pœnam, quaſi centum, verbi gratia, dierum indulgentia tollat pœnam centum dierum alterius ſeculi, ſed referendi ſunt potius ad pœnitentiæ tempus, quod hic eſſet juxta Canones percurrendum: proindeque indulgentia ſeptem annorum, vel dierum eſt remiſſio pœnitentiæ, quæ ſecundum Canonum rigorem, veteremque Eccleſiæ diſciplinam ſeptem annis, vel diebus peragenda fuiſſet: quod conſtare poteſt ex modo loquendi Romanorum Pontificum, ac præſertim Innocenti III. cap. *Cum ex eo*, de pœnit. & remiſſ. qui aſſerunt in indulgentiis concedendis ſe remittere tot dies, vel annos *de pœnitentiis injunctis*; quod ad Purgatorii pœnas referri non poteſt.

Quia tamen indulgentiæ non in facie Eccleſiæ tantum, ſed etiam coram Deo valent; conſequenter dicendum eſt, per indulgentiam tot annorum, vel dierum remitti etiam pœnam, quæ cum hic impleta non eſſet, poſt hanc vitam in Purgatorio eſſet implenda: an vero tantum de hac pœna remittatur, quantum in indulgentiæ conceſſione profertur; ut ei ſcilicet, qui lucratur indulgentiam ſeptem dierum, vel

annorum, detrahantur ſeptem dies, vel anni pœnæ in Purgatorio perferendæ, ſolus Deus id novit. Credere tamen par eſt, non oportere, ut hujus vitæ annis, vel diebus reſpondeat ad amuſſim numerus annorum, vel dierum futuri ſeculi; quaſi quot hic dierum relaxatur pœnitentia, tanta præciſe in Purgatorio relaxetur. Poteſt enim acerbitas pœnæ unius diei in Purgatorio æquiparari pœnæ plurium dierum, imo & annorum, quæ in hoc ſeculo toleratur. Plenaria tamen indulgentia tollit totam pœnam etiam in Purgatorio luendam, quando quis plenum ejus fructum aſſequitur.

Dividuntur præterea indulgentiæ in *perſonales*, quæ certis perſonis conferuntur; & in *reales*, quæ quibuſdam locis, vel rebus alligantur, ut Eccleſiis, altaribus, imaginibus, roſariis &c. Aliæ inſuper dicuntur *temporales*, quæ præfixum tempus habent, eoque tranſacto acquiri ultra non poſſunt; aliæ vero *perpetuæ* nuncupantur, quæ ſine ulla determinatione temporis conceduntur.

Circa autem indulgentiarum valorem notandum eſt primo, illas nec culpæ, nec pœnæ æternæ auferre reatum. Culpa enim, & pœna æterna minime remittuntur, niſi aut per Sacramentum, aut per contritionem perfectam cum Sacramenti voto: atqui indulgentia neque Sacramentum eſt, neque perfecta contritio: igitur abſolutio quam illa includit, non eſt a culpa, ſed a pœna tantum, & quidem temporali, quæ poſt dimiſſam culpam remanet expendenda. Hinc in indulgentiarum conceſſione ſemper ea verba ponuntur, *pœnitentibus, & confeſſis*. Si vero quandoque legatur, eas concedi in remiſ-

miſſionem peccatorum, vel ut a peccatorum vinculis abſolvamur; intelligendum eſt de remiſſione, vel abſolutione a vinculis peccatorum quoad ſatisfactoriam dumtaxat pœnam ex dimiſſa culpa relictam, per quam adhuc cenſetur homo ligatus, quoaduſque illam adimpleat.

Remittunt autem indulgentiæ pœnam tum a Confeſſario injunctam, tum per Canones injungendam. Si enim indulgentiæ eam dumtaxat pœnam remitterent, quæ nunc in ſacramento Pœnitentiæ ſolet injungi; cum hujuſmodi pœna propter infirmitatem populi Chriſtiani ſit admodum levis, jam indulgentiæ nullius fere pretii eſſent, ac nihil pene remitterent, quando antiquus Canonum rigor in ſatisfactionibus injungendis amplius non ſervatur. Dum ergo Pontifex fert indulgentiam quadraginta, vel centum, vel etiam plurium dierum, cum tantam pœnitentiam a Confeſſario injunctam eſſe ignoret, imo potius ſciat, hac noſtra ætate communiter non tantam injungi pœnitentiam, dicendum eſt, quod ille intentionem non habeat relaxandi pœnitentiam a Sacerdote peculiariter injunctam, ſed eam quæ eſſet ex præſcripto Canonum injungenda.

Deinde indulgentia injunctam pœnitentiam idcirco relaxat, quod pœnitentem abſolvit a debito pœnæ temporalis, cui eſt propter peccatum obnoxius: atqui pœna peccato debita non ea tantum eſt, quæ modo in ſacramento Pœnitentiæ ſolet injungi, verum & quæ ex antiquis Canonibus injungi deberet.

Quum itaque in indulgentiarum diplomatibus clauſula illa, *de injunctis*, apponitur, non eſt reſtringenda, ſed amplianda; juxta ſcilicet

triſſimam juris regulam : *Favores ſunt ampliandi , & odia reſtringenda* : proindeque ad injungendas quoque pœnitentias debet extendi. Quod etiam ex alio juris effato firmatur: *Ubi majus conceditur, minus etiam conceſſum eſſe videtur* : Majus eſt autem injunctas remittere pœnas, quam injungendas; illæ enim non tantum ex reatu pœnæ culpam conſequente , verum & ex Sacerdotis præcepto debentur . Poſtremo veriſimile videtur Eſtio in 4. d. 20. §. 1. pœnitentiam juxta Canones injungendam non inepte pro injuncta reputari , cum jam ipſis Canonibus ſit præfixa , ita ut tantum declaratione ſit opus , quid ſecundum Canones fieri conveniret.

At contra dices . Non dimittitur niſi quod debitum eſt : atqui nemo debitor eſt pœnitentiæ per Canones injungendæ tribus, vel ſeptem, vel pluribus annis, quia Canones illi jam ſunt abrogati, & in deſuetudinem abierunt : Indulgentiæ igitur eam tantum remittunt pœnitentiam, quam Sacerdos injunxerit,

Reſp. neminem utique debitorem eſſe pœnitentiæ per Canones injungendæ, quantum ad modum & ordinem quo olim illi pœnitentiam præſcribebant, percurrendo videlicet ſtationes, de quibus ſuperiori in libro brevem dedimus deſcriptionem ; ejuſdem tamen pœnitentiæ debitores ſumus, quantum ad ſubſtantiam, finemque ſatisfactionis congruæ, & adæquatæ peccatis. Cum autem ignoremus , quæ pœnæ acerbitas, & diuturnitas lethalibus peccatis etiam dimiſſis in judicio divino ſit debita ; idcirco elaborandum eſt ſemper, ut pœnitentia, & medicina inflicto vulnere non ſit minor; quia ve-

ro

ro pro humana infirmitate vix pares ſumus tot pœnis hic perſolvendis, ideo pia mater Eccleſia illarum defectum per indulgentias ſupplet, ne forte graviores, ac longe atrociores in Purgatorio exſolvere teneamur.

Quærunt Theologi, num indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant; ſive, num tantam remittant pœnam, quantam remitti in earum conceſſione promittitur. Hac de re primo dicimus, ad indulgentiarum valorem requiri rationabilem cauſam in conferente. Romanus enim Pontifex, & Epiſcopi ſunt a Chriſto conſtituti *diſpenſatores myſteriorum Dei*, ut legitur in 1. ad Cor. c. 4. v. 1. Inter hæc vero myſteria eſt Eccleſiæ theſaurus, in quo Chriſti, Sanctorumque merita continentur. Ipſi quoque Pontifices in ſuis reſcriptis erogationem hujus theſauri diſpenſationem appellant. Differt autem diſpenſatio a profuſione ſeu diſſipatione, quod illa ex legitima cauſa, hæc vero temere fiat. Cum ergo Dominus ratam non habeat bonorum ſuorum diſſipationem, ſed tantummodo diſpenſationem; profecto conſequitur, indulgentiam ſine rationabili cauſa factam nihil omnino valere.

2. Ad id requiritur cauſa proportionata quantitati indulgentiæ; ita nimirum, ut ſicut indulgentia abſque legitima cauſa conceſſa nil valet, ita ad majorem indulgentiam major cauſa requiratur, tantumque illa, & non amplius valeat, pro quanto cauſa ſufficere in Dei judicio reputatur. Cauſa vero ſufficiens intelligenda non tantum eſt ex parte conferentis, verum etiam ex parte ſuſcipientis: nam & in ſuſcipiente requiritur ut aliquid faciat, quod quandam

 ha-

habeat proportionem ad indulgentiæ quantitatem ; alioquin non tantam percipiet indulgentiam, ſed minorem juxta operis proportionem.

Et certe quemadmodum Eccleſiæ theſaurum diſſipat, non diſpenſat, qui ſine cauſa indulgentiam concedit; ita & ille, qui concedit juſto majorem. Is, inquam, theſaurum diſſipat pro ea parte, quæ cauſæ proportionem excedit; ac proinde pro ea parte non habetur ratum a Domino quod agitur a miniſtro; ſicuti nec ratum in temporalibus haberetur, niſi uſque ad rationabilis legitimæque cauſæ menſuram.

Patet inſuper ex Extravaganti Clementis nunc majores, nunc minores indulgentias pro cauſæ qualitate concedi. Et Lateranenſe Concilium cap. 62. permittit in Dedicatione quidem Eccleſiæ dari indulgentias unius anni, ſed in Anniverſario tantum 40. dierum, volens nimirum majores vel minores pro ratione cauſæ indulgentias diſpenſari. Eandem quoque proportionem in diſpenſandis publicis indulgentiis Romana ſervare ſolet Eccleſia. Ex quibus apparet cauſam aliquam juſtam eſſe ad minores, quæ juſta non ſit ad majores indulgentias concedendas. Quapropter ſi pro minori cauſa major indulgentia detur, totus ille indulgentiæ exceſſus carebit cauſa, ideoque erit inefficax & inanis; perinde atque indulgentia minor ſimpliciter data ſine cauſa, omni valore fruſtratur.

Quod vero ex parte etiam ſuſcipientis neceſſaria ſit proportionata diſpoſitio, ideſt opus aliquod proportionem habens ad indulgentiæ quantitatem, perſpicua ratione probatur. Non enim ſufficit cauſæ magnitudo ex parte conferentis indulgentiam, niſi ad eandem juſta ali-

qua

qua proportione per opus ſuum accedat ille, qui vult indulgentiam promereri. Nam ea cauſa ad theſaurum applicandum huic, vel illi requiritur; quæ applicatio non fit, niſi intuitu alicujus pii operis quod iſte facit: quare ſi iſte vel nihil, vel exiguum aliquid faciat comparatione peramplæ indulgentiæ, hæc non ei valebit quantum ſonat. Ubi tamen diligenter animadvertendum eſt non requiri æqualitatem cauſæ vel operis ad indulgentiam, ſed proportionem: ſi enim exigeretur opus æquivalens, jam non relaxatio, & abſolutio, ſed vera commutatio foret.

In quo autem præciſe gradu proportio illa conſiſtat, non facile definitur, ſed relinquitur judicandum Eccleſiæ Prælatis, quibus Chriſtus indulgendi contulit poteſtatem. Sane S. Cyprianus in epiſt. 15. alias 11. rogat Martyres, ut non alios, quam quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpexerint, libellis ſuis apud Epiſcopum commendent ad plenam indulgentiam obtinendam. Item antiqua Concilia ſtatuunt circa eos pœnitentes humanius aliquid cogitandum, qui cum omni timore & lacrymis perſeverantes converſationem bonam oſtenderint. Tandem Apoſtolus non niſi poſt tam gravem pœnitentiæ afflictionem, ut ex ea deſperationis periculum timeretur, inceſtuoſo Corinthio reſiduum pœnitentiæ relaxavit. Unde conſequitur eos qui graviter deliquerunt, per indulgentiam non obtinere plenam remiſſionem, niſi ipſi quoque ſatisfaciendo certa quadam proportione ad tam magnum beneficium accedere connitantur.

Id vero nil derogat indulgentiis quæ plenæ

ſeu plenariæ nuncupantur. Ita namque dicuntur, quia eam vim habent, ut plenam is qui paratus ſit, accipere queat remiſſionem peccatorum. Per quod imprimis certum eſt non omnem ſatisfactionem excludi, cum ex parte ſuſcipientis præparatio ſeu diſpoſitio quædam ſatisfactoria requiratur; idque ex divina lege, cui hoc indulgentiæ plenariæ beneficium nequaquam opponitur. Quocirca Pontifex hujuſmodi indulgentiam concedens non legem divinam infringit, ſed ea præſuppoſita de plenitudine poteſtatis indulgentiam diſpenſat, nulla temporis menſura limitatam; tantum videlicet largiens, quantum quiſque ſecundum præparationem ſuam capere poteſt, & totam condonans pœnam, ſi totius condonationis ſecundum ſuam præparationem capax eſt pœnitens. Unde vere dicitur, quod indulgentia etiam plenaria tantum valet, quantum ſonat, tametſi non omnis qui eam participat, plenum fructum inde percipiat: quod ſignificant verba illa Bonifacii VIII. in Extravaganti Jubilæi: *Unuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius & devotius frequentabit*. Quæ verba manifeſte demonſtrant, non ſemper æqualiter omnes plenariam indulgentiam adipiſci.

Hæc etiam eſt S. Bonaventuræ ſententia, cum in 4. d. 20. p. 2. a. 1. q. 6. ſcribat, *quod indulgentiæ, quantum eſt ex poteſtate dantis, tantum valent, quantum promittunt: nihilominus non cuilibet valent tantum, nec æqualiter omnibus, ſed ſecundum exiſtimationem ejus quam habuit, vel habere debuit qui indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere; quia omnes fideles de-*

bent

bent illud in corde præſupponere, quod dona, & miſerationes Sancti Spiritus donentur cum æquo libramine. Nec hoc debet aliquem ab his retrahere; quia ſemper plus valent, ſi homo ſit in charitate, quam valeat obſequium, vel aliud aliquid, pro quo indulgentia conceditur, vel donatur.

Ex hac itaque ſententia ſic declarata non ſequitur indulgentias in dubium revocari, aut Eccleſiæ falſitatem adſcribi. Quamvis enim in diſcernendis indulgentiarum cauſis errare (abſolute loquendo) poſſint Eccleſiæ Præfecti; quamdiu tamen error non eſt manifeſtus, præſumere debent Fideles, ſicut in aliis, ita & in indulgentiis concedendis rectum ab illis adhibitum fuiſſe judicium.

Circa vero cauſas quarum intuitu diſpenſandæ ſunt indulgentiæ, ſcribit S. Bonaventura in laudati articuli q. 4. „ quod ſicut videmus in „ politiis, & communitatibus humanis, quod „ theſaurus reipublicæ propter duo maxime „ conſuevit proferri, & communicari exterius; „ ſic eſt in ſpiritualibus intelligendum. Pro„ fertur namque theſaurus extra ad diſpergen„ dum propter gloriam Principis, ſicut faciunt „ Reges curiales, ſicut fecit Aſſuerus. Alio „ modo propter utilitatem communitatis, ut „ quando læditur communitas, proferunt ſti„ pendia, & donativa militibus, ut eant ad „ pugnam. Sic theſaurus Eccleſiæ ab his qui „ habent diſpenſare, duplici ex cauſa debet di„ ſtribui. Una cauſa eſt propter gloriam Prin„ cipis, & laudem: & laus & honor Dei eſt „ in Sanctis ſuis: & Sancti honorantur in con„ ſtructione Baſilicarum, & viſitatione Baſili-

„ ca-

„ carum , & commemoratione virtutum ſua-
„ rum: & idem fit in prædicationibus, & ſer-
„ monibus: & ideo pro his omnibus indulgen-
„ tiæ recte fiunt. Alia cauſa eſt communis
„ utilitas, quæ quidem utilitas eſt defenſio ter-
„ ræ ſanctæ, defenſio fidei, promotio ſtudii,
„ & conſimilia: & ideo pro talibus debent fie-
„ ri. Et quoniam hæc conſiſtunt in actibus
„ exterioribus, ideo maxime pro actibus exte-
„ rioribus debent fieri indulgentiæ.

Poſtremo deſcendit ex dictis in hoc & in priori capite, quod indulgentiæ non tantum valeant ad abſolvendum a pœna ſtatuta per Canones, & quoad forum Eccleſiæ, verum & ab illa, quam quis in Purgatorio ſecundum judicium Dei meretur. Et ſane ut bene notat S. Bonaventura in loco citato q. 2. *oppoſita opinio etſi relaxationes videatur ponere, verius tamen interimit: quia ſi relaxant, ita quod Deus non relaxat, potius deceptio, quam relaxatio vera judicanda eſt: & potius crudelitas, quam pietas dici poteſt, dum minuendo hic pœnitentiam, in futuro ad graviora trahit ſupplicia.*

CAPUT III.

De indulgentiarum Miniſtro, ac Subjecto.

CHriſtum Dominum indulgentiarum Auctorem eſſe in dubium venire non poteſt, cum ipſe Matth. 16. & 18. facultatem Petro, & Eccleſiæ ſe-

fecerit indulgentias concedendi, ut in primo hujus libri capite dictum eſt. De indulgentiarum itaque Miniſtro hic differamus oportet, de iis nempe, quibus à Chriſto eſt collata poteſtas largiendi indulgentias: ac de Subjecto aliquid ſubjungemus, de iis ſcilicet, quibus indulgentiæ ſunt conferendæ.

Poteſtas igitur indulgentias faciendi ad eos tantummodo ſpectat, qui Eccleſiaſticam habent juriſdictionem. Ut enim Alexander III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcribit cap. *Quod autem*, extra de pœnit. & remiſſ. *cum non à ſuo Judice ligari nullus valeat vel abſolvi, remiſſiones prodeſſe illis tantummodo arbitramur, quibus ut proſint, proprii Judices ſpecialiter indulſerunt*. Fundatum vero eſt decretum iſtud in eodem jure divino, in quo poteſtas ipſa fundatur, videlicet Matth. c. 16. & 18. Cum enim ligare & ſolvere ſit Judicis officium, nemo præſtare id poteſt, niſi qui juriſdictionem in eos habet, quos ligat aut ſolvit.

Ejuſmodi vero juriſdictio ad ferendas indulgentias neceſſario requiſita non reſpicit forum interius, ſive pœnitentiæ, vel Ordinis poteſtatem. Nam electi Epiſcopi, licet nondum ordinati, & Legati Sedis Apoſtolicæ, tametſi non ſint Presbyteri, ſolent indulgentias elargiri. Sicut itaque ad excommunicandum, ita ad indulgentias conferendas ſufficit juriſdictio, quæ ad forum dumtaxat exterius referatur.

Pro certo itaque ſtatuendum eſt hanc indulgentias conferendi poteſtatem eſſe penes Summum Pontificem, ac reliquos omnes Epiſcopos, tanquam Eccleſiæ Prælatos, juriſdictionem ordinariam fori exterioris habentes; ita tamen

ut

ut ille pro tota Eccleſia poſſit plenariam etiam indulgentiam facere, iſti vero partiales dumtaxat indulgentias ferre valeant pro ſua Diœceſi, vel Provincia, modo tamen inferius explicando.

Quod igitur ſolus Papa poſſit plenariam indulgentiam quibuſvis per totam Eccleſiam fidelibus impertiri, inde facile conſtat, quia, ut ait S. Thomas in q. 26. ſuppl. a. 3. ſolus *Papa habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, quaſi Rex in regno*; ac uti ſcribit S. Bonaventura in 4. d. 20. p. 2. a. 1. q. 3. *eſt totius univerſalis Eccleſiæ Sponſus & Rector, quia ipſi competit totius ſpiritualis theſauri diſpenſatio, ſecundum quod curam habet de tota Eccleſia, & omnibus ejus filiis: unde omnes ſunt ejus filii, & ipſe eſt pater omnium*. Ceteri vero Epiſcopi, ſubdit citato in loco Doctor Angelicus, *aſſumuntur in partem ſollicitudinis, quaſi Judices ſingulis civitatibus præpoſiti... & ideo poteſtas faciendi indulgentias, in Epiſcopis eſt taxata ſecundum ordinationem Papæ: & ideo poſſunt facere ſecundum quod eſt eis taxatum, & non amplius*.

Hinc Epiſcopi non niſi in eos, qui ſunt de ſua Diœceſi, & Archiepiſcopi non niſi in eos qui ſunt de ſua Provincia, poſſunt indulgentias erogare; uti patet ex citato cap. *Quod autem*; atque has unius dumtaxat anni, cum dedicatur Eccleſia; aliis vero temporibus quadraginta ſolum dierum: ita namque ſtatutum fuit ab Innocentio III. in Lateranenſi Concilio IV. cap. *Cum ex eo*, titulo *de Pœnitentiis*, & ab Honorio IV. cap. *Noſtro*, eodem titulo, & a Bonifacio VIII. cap. *Indulgentia*, in Sexto, eodem quoque titulo.

Si quis autem interrogare voluerit, an Eccle-

cleſiaſtico tantum jure, an vero etiam divino Epiſcopi indulgentias largiantur; reſponſum ſub diſtinctione reddemus. Vel enim loquimur de poteſtate qua illi indulgentias conferunt, vel de modo quo eandem poteſtatem exercent. Poteſtas a Chriſto conceſſa fuit Epiſcopis, proindeque divino ad eos jure deſcendit; quod ea verba demonſtrant Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis &c. quæcunque ſolveritis &c.* Legitur inſuper Act. 20. v. 28. *Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

At modus poteſtatem illam exercendi ex Eccleſiæ præſcripto ſtatutus fuit Epiſcopis. Etſi enim hi omnes divino jure a Chriſto ſint poſiti ad regendam Eccleſiam, non tamen cum æquali juriſdictionis poteſtate; ſed ſicut Eccleſiam fundavit in Petro, eidemque univerſale ſuarum ovium regimen commendavit; ita privilegium iſtud divino jure in Petri Succeſſore Romano Pontifice perſeverat, ut ipſe ſit totius Dominici gregis Rector cum plenitudine juriſdictionis, quæ per ipſum in alios particularium gregum Rectores, Paſtoreſque dimanat. Quare modus exercendi juriſdictionis poteſtatem, qua indulgentiæ conferuntur, potuit Eccleſiaſtico jure per Papam & Concilia in Epiſcopis definiri; uti in loco ſuperius laudato Angelicus Doctor affirmat.

Patet ex dictis, Parochos, Abbates, alioſque Religioſorum Ordinum Præpoſitos non habere ordinariam poteſtatem indulgentias concedendi, licet ex ſpeciali commiſſione eaſdem valeant erogare. Nam illi dumtaxat per ordinariam poteſtatem poſſunt indulgentias ex Eccleſiæ theſauro elargiri, qui eidem Eccleſiæ

præ-

præficiuntur: atqui ſoli Epiſcopi præficiuntur Eccleſiæ. Ut enim recte notat Angel. Doctor in q. 26. ſuppl. a. 1. „ Cum Eccleſia ſit congre-
„ gatio fidelium; congregatio autem hominum
„ ſit duplex; ſcilicet *œconomica*, ſicut qui ſunt
„ de una familia; & *politica*, ſicut illi qui
„ ſunt de uno populo: Eccleſia aſſimilatur con-
„ gregationi politicæ, quia ipſe populus *Ec-*
„ *cleſia* dicitur; ſed conventus diverſi vel pa-
„ rochiæ in una diœceſi aſſimilantur congrega-
„ tioni in diverſis familiis vel in diverſis offi-
„ ciis. Et ideo ſolus Epiſcopus proprie *Præ-*
„ *latus Eccleſiæ* dicitur: & ideo ipſe ſolus,
„ quaſi ſponſus, annulum Eccleſiæ recipit: &
„ ideo ſolus ipſe habet plenam poteſtatem in
„ diſpenſatione ſacramentorum, & juriſdictio-
„ nem in foro cauſarum quaſi perſona publica;
„ alii autem, ſecundum quod ab eo eis com-
„ mittitur. Sed Sacerdotes qui plebibus præfi-
„ ciuntur, non ſunt ſimpliciter Prælati, ſed
„ quaſi coadjutores; unde in conſecratione Sa-
„ cerdotum Epiſcopus dicit: *Quanto fragilio-*
„ *res ſumus, tanto magis his auxiliis indige-*
„ *mus*: & propter hoc etiam non omnia ſa-
„ cramenta diſpenſant. Unde Sacerdotes Pa-
„ rochiales, vel Abbates, aut alii hujuſmodi
„ Prælati non poſſunt indulgentias facere.

Nec obſtat, quod Religionum Præfecti ſoleant merita ſatisfactioneſque ſuarum Religionum aliis communicare: id enim per veram propriamque indulgentiam non contingit; 1. quia non fit ex indeficienti theſauro meritorum Chriſti, & Sanctorum, ſed ſolum ex bonis illius Congregationis, de quibus certo ſciri non poteſt, num deficiant, vel abundent: 2. quia

quia per ejuſmodi communicationem futura tantum opera applicantur, non vero ſuperabundantes præteritæ ſatisfactiones, quæ in Eccleſiæ theſaurum reconditæ jam fuerunt: 3. quia (verba ſunt S. Thomæ citato in loco) *per illas communicationes, quamvis homo ſolvatur a reatu pœnæ, quantum ad Deum, tamen non ſolvitur a debito faciendi ſatisfactionem injunctam ad quam obligatus eſt ex præcepto Eccleſiæ*. Lege etiam S. Bonaventuram in loco paulo ſuperius indicato.

At hæc nobis de indulgentiarum miniſtro dixiſſe pro inſtituti ratione ſufficiat. Quod vero ad earundem ſubjectum pertinet, adnotamus, indulgentias conferri poſſe Fidelibus, tum vivis, tum quoque defunctis, qui purgatorio igne torquentur. De vivis huuſque peregimus, de defunctis autem lege quæ ſcripſimus in lib. 22. c. 6. Hic vero dumtaxat expendendum ſupereſt, an lucrari valeant indulgentias ii, qui in ſtatu peccati lethalis exiſtunt?

Hac in re bene Eſtius in 4. d. 20. §. 8. diſtinguit tria tempora in indulgentia, ac tres ſimiliter ſtatus in homine, qui indulgentiam vult lucrari. Primum tempus eſt, quo indulgentia publicatur: ſecundum, quo fit opus pro indulgentia conſequenda: tertium, quo quis eam reipſa vult conſequi. Item in ipſo homine primus ſtatus eſt peccati, ſecundus pœnitentiæ, tertius gratiæ.

Imprimis itaque certum eſt eo tempore, quo publicatur indulgentia, non neceſſario debere hominem eſſe in ſtatu pœnitentiæ, vel gratiæ, ut poſſit poſtea indulgentiam publicatam acquirere. Nam etſi tunc affectum habeat ad peccatum,

tum, ſe tamen diſponere poſtmodum poterit ad indulgentiam conſequendam. Excipiendus tamen eſt cum Bellarmino in lib. 1. de indulg. c. 13. caſus quo idem ſit tempus publicationis, & perceptionis; ut cum in ſacello Pontificio conceduntur indulgentiæ omnibus, qui eo in loco divinis interfuerunt officiis.

Quod vero ad ſecundum indulgentiæ tempus ſpectat, nemo in affectu peccati lethalis exiſtens poteſt præſcriptum opus utiliter facere ad indulgentiam conſequendam. Illud enim opus per modum ſatisfactionis implendum eſt: Satiſfactio autem nullius eſt apud Deum momenti, ſi exhibeatur ab eo qui peccatum amat; ab illo videlicet, qui non ſolum manet in ſtatu peccati mortalis, ſed & in ejus affectu. Nam ſatisfactio eſt ſtudium placandi Deum, quod quidem componi non poteſt cum voluntate, qua ipſe Deus offenditur. Vide quæ hac de re ſcripſimus ſuperiori in libro c. 13. dub. 4.

Nihil autem vetat, quo minus in ſtatu pœnitentiæ præſcriptas conditiones utiliter & efficaciter implere quis poſſit, dummodo in gratia reperiatur eo tempore, quo indulgentia reipſa percipienda eſt. Hinc conſueta indulgentiarum forma non ſolum requirit veram pœnitentiam ſeu contritionem, verum etiam confeſſionem; non quod conditiones requiſitæ non poſſint impleri, niſi ab iis qui prævia confeſſione a peccatis fuerint abſoluti, ſed quia ipſam indulgentiam non conſequuntur niſi in gratia exiſtentes: & ratio quidem apertiſſima eſt; nam niſi prius remiſſa fuerit culpa, remitti pœna non poteſt.

CA-

CAPUT IV.

Ubi de Cenſura generatim inſpecta diſſeritur.

Cenſuræ nomine hic intelligitur ſpiritualis pœna in exteriori Eccleſiæ foro inflicta, qua baptizatus homo privatur ſpiritualibus quibuſdam bonis propter animæ ſalutem. Et *pœna* quidem dicitur, quia non niſi ob culpam infligitur: dicitur autem *ſpiritualis*, quia non corpus ligat, ſed animam. Additur, *in exteriori Eccleſiæ foro*, in eo videlicet, in quo negotium agitur teſtibus, variiſque judiciorum formulis; & ideo ſententiæ quibus crimina caſtigantur in foro interiori, ſeu in quo alia non adhibetur probatio, quam confeſſio pœnitentis, inter cenſuras minime recenſentur. Adjicitur, *qua baptizatus homo privatur*: qui enim baptizati non ſunt, judicio & cenſuræ Eccleſiæ non ſubduntur, juxta illud Apoſtoli in 1. ad Cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare?* Subjungitur, *ſpiritualibus quibuſdam bonis*; quia temporales pœnæ, ſicuti ſunt corporales vel pecuniariæ, inter cenſuras numerari non poſſunt. Nec tamen omnibus ſpiritualibus bonis cenſura privat, ſed ſolum eorum participatione, quæ Eccleſiæ diſpenſationi ſunt tradita; unde virtutes infuſas, earumque actus nequaquam abducit. Privat autem ſpiritualibus bonis illis vel quoad jus, ut fit in excommunicatione; vel

quoad uſum, ut in ſuſpenſione, & interdicto contingit. Tandem apponitur; *propter animæ ſalutem*; quia cenſura eſt medicinalis pœna, quam infligit Eccleſia, non ſolum ut puniat peccatorem, ſed ut ad pœnitentiam ipſum adducat.

Quælibet olim pœna in exteriori foro inflicta ab Eccleſia, qua ob culpam quis certo ſpirituali jure privatur, cenſuræ nomen habebat; modo vero triplex tantum cenſura diſtinguitur, excommunicatio nempe, ſuſpenſio, & interdictum, uti definivit Innocentius III. cap. *Quærenti*, Extra, *de verborum ſignificatione*. Unde concluditur, irregularitatem, eam etiam quæ oritur ex delicto, & depoſitionem, ac degradationem, ſecundum hodiernum uſum inter cenſuras minime numerari: ideoque qui a cenſuris abſolutus eſt, ab irregularitate, depoſitione, aut degradatione diſpenſatus non cenſetur.

Cenſura inſuper alia eſt a jure, alia ab homine. Illa fertur a legislatore cum intentione condendi legem, ſeu ſtatutum generale perpetuum: tales ſunt, quæ Conciliorum decretis, vel Romanorum Pontificum ſanctionibus latæ leguntur. Iſta vero eſt, quæ fertur ab homine Eccleſiaſticam juriſdictionem habente, qui tamen intentionem habeat condendi legem, perpetuumque ſtatutum, ſed temporale præceptum pro particulari aliquo negotio, vel perſona. Quapropter illa ſemper eſt generalis, iſta nonnunquam particulares tantum perſonas reſpicit: prior vim habet etiam poſt legislatoris vel mortem, vel amotionem ab officio; poſterior vero ſtatim deſinit: ab illa tandem ſi per

Ca-

Canonem reſervata non ſit, quilibet approbatus Miniſter poteſt abſolvere; ab iſta tamen is ſolum, a quo lata fuit, vel ejus Superior, vel delegatus Miniſter: unde non comprehenditur ſub generali conceſſione abſolvendi a cenſuris, niſi ſpecialiter exprimatur.

Præterea cenſura alia eſt *latæ ſententiæ*, alia *ferendæ*. Prior eſt, quæ ſtatim poſt admiſſum peccatum incurritur, etiamſi nulla Judicis ſententia homo declaretur reus. Poſterior vero nequaquam incurritur, niſi declaratio Judicis peccato ſucceſſerit. Cenſura latæ ſententiæ hiſce verbis exprimitur, *ipſo jure*, *ipſo facto*, *&c.* vel *ſtatim*, *confeſtim*, *illico*, &c. Similem quoque vim hæc verba habent: *Excommunicamus*, *ſuſpendimus*, *&c.* vel *excommunicatum*, aut *ſuſpenſum eſſe decernimus*, &c. Cenſura *ferendæ ſententiæ* non exprimitur per modum ſententiæ, ſed ſtatuti comminantis pœnam, ut cum per futuri temporis verba profertur, ſicuti dum dicitur: *Qui hoc fecerit*, *excommunicabitur*, vel *ſuſpendetur*. Item dum hoc modo enunciatur: *Præcipimus ſub pœna excommunicationis*, vel *ſuſpenſionis*, vel *interdicti*; aut *excommunicationis ſententiam ſe noverit incurſurum*; *&c.* Item, *ſub pœna excommunicationis*, vel *ſub anathematis interminatione*. Cum enim juxta juris regulam odia reſtringenda ſint, & in mitiorem interpretanda ſint partem; non eſt putandum, Legiſlatorem & Superiorem tuliſſe ſententiam ipſo facto incurrendam, niſi id diſertis verbis expreſſerit.

Tandem cenſura alia eſt juſta, alia injuſta. Prima fertur ſecundum leges, ac formas jure præſcriptas: altera vero eſt, cui hæc deſunt,

vel quæ ſiniſtra fertur intentione. Hac de re ita ſcribit Angel. Doctor in ſuppl. q. 21. a. 4.
„ Excommunicatio poteſt dici injuſta dupliciter. Uno modo ex parte excommunicantis, ſicut cum ex odio, vel ira aliquis excommunicat: & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum ſuum, quamvis ille qui excommunicat, peccet; quia iſte juſte patitur, quamvis ille injuſte faciat. Alio modo ex parte ipſius excommunicationis, vel quia cauſa excommunicationis eſt indebita, vel quia fertur ſententia juris ordine prætermiſſo: & tunc ſi ſit talis error ex parte ſententiæ, qui ſententiam nullam eſſe faciat, non habet effectum, quia non eſt excommunicatio. Si autem talis error non annullet ſententiam, habet effectum ſuum; & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, & vel abſolutionem petere ab excommunicante, vel ad ſuperiorem judicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipſo mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque quod ſit debita cauſa ex parte excommunicantis, quæ non eſt debita ex parte excommunicati; ſicut cum aliquis pro falſo crimine in judicio probato excommunicatur: & tunc ſi humiliter ſuſtineat, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum. " Lege etiam S. Bonaventuram in 4. d. 18. p. 2. dub. 2.

Cenſurarum materia eſt peccatum grave, exterius, ac reipſa commiſſum. Peccatum quidem eſt, quia cenſura eſt pœna: *Omnis autem pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt:* inquit Auguſtinus in lib. 3. de lib. arb. c. 18. Grave in-

inſuper eſſe debet, ſeu mortale, & ſcandalum afferens; cum cenſura ſit pœna publica, & graviſſima ad hoc inſtituta, ut ſtet vigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ut ſcandala a fidelibus arceantur. Eſt inſuper peccatum exterius: nam cenſura eſt pœna exterioris fori, quod profecto non punit peccata dumtaxat interna, & quæ exterius nulla ratione ſe produnt. Eſt tandem peccatum reipſa commiſſum, uti infertur ex eo quod nulli Canones cenſuris puniant propoſitum committendi ſcelus aliquod, licet propoſitum illud exterius innotuerit.

Forma cenſurarum ſunt formalitates, ſeu conditiones, quæ a jure, vel conſuetudine ſunt præſcriptæ; & quibus poſitis cenſuræ ſuum ſortiuntur effectum, iiſdemque ſublatis locum omnino non habent. Primo autem in cenſuris, quæ per modum legis, ſeu ſtatuti feruntur, requiritur, ut lex eo quo par eſt ritu fuerit promulgata, ut recepta fuerit, & ut nullo modo fuerit abrogata, aut vim ſuam amiſerit. In cenſuris vero, quæ per modum ſententiæ feruntur, primo requiritur, ut iis exprimantur verbis, quibus intentio Judicis de præſenti cenſuram ferentis enuntietur. Unde colligitur, eum non eſſe excommunicatum, quem præciſe Judex vitaverit; ſicut nec abſolutum quem ſua familiaritate, aut oſculo ille donaverit. Si tamen Papa non ex ignorantia, aut ſubreptione, ſed ex certa ſcientia alicui excommunicato ſcriberet, aut eum ad oſculum admitteret; hoc facto ipſum abſolviſſe præſumeretur, ut inquit Gloſſa in cap. *Si aliquando*, de ſent. excomm. Secundo neceſſe eſt, ut exprimatur nomen perſonæ, in quam lata fuerit cenſura. Oportet ter-

tertio, ut exprimatur culpa, ſive cenſuræ cauſa, tum ne temere lata videatur, tum ne Judici relinquatur facultas modo hanc, modo illam pro libito proferendi: tum ut reus ſciat, a quo peccato debeat temperare: tum denique, ut innocentiam ſuam tueri valeat, ſi fortaſſis per calumniam fuerit accuſatus. Quarto, ut cenſura in exteriori foro effectum ſuum obtineat, exprimenda eſt ſcripto, cujus exemplar dandum eſt reo, ſi ille petierit. Quinto, cenſuræ, quæ circa delictum præſens cum contumacia conjunctum verſantur, ut juſtæ ſint, tres monitiones expoſtulant: quæ vero circa præteritum, ſeu quæ in declaratione conſiſtunt, monitiones non prærequirunt; ſed citationibus opus eſt, ut reus in jus veniat, ſui facti, vel dicti rationem in præſentia reddituus.

Cenſurarum auctor eſt ipſe Deus, qui in veteri lege poteſtatem contulit Synagogæ, ut ab hominum conſortio leproſos ejiceret, impioſque qui ceteris ſcandalo eſſent, anathematis pœna multaret. Hac poteſtate abuſi fuere Judæi, dum conſpirarunt, *ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret*, Joan. 9. v. 22.

In nova inſuper lege Chriſtus Dominus eandem facultatem conceſſit Eccleſiæ, ut patet ex Matth. c. 18. ubi poſtquam dixit Apoſtolis eum qui ſemel atque iterum correptus, Eccleſiam non audierit, habendum eſſe ficut ethnicum, & publicanum, v. 18. ſubjecit: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Hinc inceſtuoſum Corinthium Paulus a divinorum partici-

pa-

patione removit, 1. Cor. 5. ac tandem Eccleſia quovis ſeculo graviorum criminum reis cenſuras inflixit. Vide Tertullianum in Apologetico c. 39. Hieronymum in epiſt. 5. ad Heliodorum, Auguſtinum in lib. de fide & oper. c. 2. &c.

Cenſurarum ergo miniſtri divino jure ſunt Romanus Pontifex, & Eccleſia in generali præſertim Concilio congregata, necnon Epiſcopi, in ſua quiſque Diœceſi. De Romano Pontifice conſtat; cum enim, ut legitur Matth. 16. & Joan. 21. Chriſtus ſuper Petrum Eccleſiam ſuam ædificaverit, eumque ſui gregis paſtorem elegerit, ut Eccleſiam & ovile ſuum vice ſui jure ordinario gubernaret; æquum profecto fuit, ut claves ei traderet cum poteſtate, qua dignis oſtium aperiret, & indignis occluderet, ac per abſolutionem ſolveret, per cenſuraſque ligaret. Quia vero Petrus erat moriturus, Eccleſia vero erat uſque ad conſummationem ſeculi duratura; eodem jure in ordinario totius Eccleſiæ regimine illum tacite deſtinavit, qui Petro in Epiſcopatu ſuccederet, & quem Romanum ſemper fuiſſe Pontificem, tota conteſtatur Antiquitas.

Item Matth. 18. v. 17. hæc Chriſti verba leguntur: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Et v. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.* Quæ dicta fuiſſe toti corpori Eccleſiæ præſertim in Conciliis congregatæ demonſtrant ſequentia v. 20. *Ubi enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Hinc ejuſmodi auctoritate utens Eccleſia in Conciliis ſuis anathemate confixit hæreticos.

Denique cum Epiſcopi divino jure creditas ſibi regant Eccleſias, uti docet Apoſtolus Act. 20.v.28. dicendum eſt, a Spiritu Sancto jus pariter accepiſſe, quo in officio contineant oves ſuas, ac morbidas a ſanis cenſurarum virga disjungant.

Cenſent nonnulli, Parochis juriſdictionem in Parochianos ſuos divino jure competere, per quam poſſint eos ligare cenſuris; at alii majori cum probabilitate id negant. Ut ut autem res ſe habeat, certum eſt, Parochos modo ejuſmodi poteſtate non frui.

Plures præterea ſunt, qui ſicuti ex Eccleſiaſtico tantum jure juriſdictionem habent, ita ex Eccleſiaſtico tantum jure cenſuras ferre poſſunt in eos, quos ipſis ſubjecit Eccleſia. Hi autem ſunt Legati Apoſtolici, Epiſcoporum Vicarii, Capitulum Sede vacante, Generales, Provinciales, Abbates, & alii, qui in exteriori foro juriſdictione Eccleſiaſtica potiuntur.

Cenſuræ ſubjectum eſt homo ratione utens, ac baptiſmate initiatus. Et ſane cum cenſura ſit pœna, & pœna referatur ad crimen, irrationalis autem creatura libertate carens nequeat crimen admittere; idcirco dumtaxat homo poteſt cenſura ligari. Eademque ratione homo rationis expers, ut infans, vel perpetuo amens necti cenſura non poteſt.

Baptizatus inſuper ſit oportet homo, ut eſſe poſſit cenſuræ ſubjectum: Soli enim baptizati Eccleſiæ juriſdictioni ſubduntur; eaque de cauſa nec Catechumenos, nec infideles poteſt Eccleſia punire cenſuris. Omnis ergo qui baptizatus eſt, poteſt cenſura ligari; ſi enim eſt laicus, excommunicari & interdicto innodari poteſt; ſi vero ſit Clericus, poteſt excommu-

ni-

nicatione, interdicto, ac inſuper ſuſpenſione multari, etiamſi Epiſcopali fulgeat dignitate. Suſpenſionem tamen, & interdictum Epiſcopi non incurrunt, niſi expreſſa eorum mentio in Canone fiat; incurrunt tamen excommunicationem, quamvis Canon quo fertur, Epiſcopos expreſſe non memoret. Poſtremo Communitas ſuſpendi quidem poteſt, & interdici; tota tamen excommunicari non poteſt, ut habetur Cauſa 24. q. 3.

Multiplex eſt cenſurarum effectus juxta multiplicem ipſarum ſpeciem, ut inferius exponemus. Generatim tamen loquendo, omnes in conſcientia obligant; ita videlicet, ut lethaliter peccent, qui cenſuris obſtricti, iis ſpiritualibus bonis, quorum uſu, aut adminiſtratione fuere prohibiti, ſe ſubjiciunt, vel ea diſpenſant. Clericus inſuper, qui interdicto, ſuſpenſione, aut excommunicatione ligatus, Ordinis actum exercet, præter peccatum cujus fit reus, irregularitatem incurrit.

Quilibet tandem approbatus Sacerdos poteſt a cenſuris abſolvere, ſi illæ aut a jure, aut ab homine Superioribus reſervatæ non fuerint.

C A P U T V.

De Excommunicatione.

EXcommunicatio eſt cenſura, qua quis ab Eccleſiaſtica communione ſejungitur. Dividitur autem in majorem, & minorem. Per hanc homo ſola ſacramentorum participatione privatur; per illam vero non tantum a perce-

ptione ſacramentorum, verum etiam a communione Fidelium removetur. Hujuſmodi excommunicationem deſignat Tertullianus in Apologetico c. 39. hæc inter alia de Chriſtianorum conventibus inquiens: *Ibidem exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu: ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.*

Eccleſia itaque excommunicandi facultate non caret, ut etiam ex dictis in præcedente capite evidenter apparet: & hanc inſuper veritatem neque ipſi Novatores negare ſunt auſi; etſi Lutherus aliique putaverint, excommunicationem, etiam majorem, eſſe pœnam dumtaxat externam, & civilem quæ animas haud, quaquam afficiat, neque ullum ſpirituale damnum excommunicatis importet. Ut igitur perverſum hunc refellamus errorem, ſit

Propoſitio. Excommunicatio magnum affert animæ detrimentum.

Probatur. Excommunicatio hominem ab Eccleſiaſtica communione disjungit: hæc vero communio eſt eadem cum communione Sanctorum, quam confitemur in Symbolo: Sanctorum vero communio non in externa tantum ſocietate, vel ſacramentorum participatione conſiſtit, quandoquidem neutro horum modorum communicamus cum Sanctis in Cœlo regnantibus; ſed etiam ac potiſſimum in ſpiritualium bonorum ſocietate ac communione reponitur; cujuſmodi ſunt merita, orationes, atque ſuffragia. Hujus itaque communionis jure contingit,

git, ut quemadmodum ejuſdem corporis membra ob naturalem connexionem quam in toto corpore ſervant, ſibi mutuo bona ſua participant, & quodammodo influunt, ita ut participatio illa ad infirma membra, imo aliquo modo ad membra etiam putrida nondum præciſa pertingat: ſic Fideles omnes tanquam membra Eccleſiæ, quæ Chriſti Spiritu vegetatur, ob illam ſpiritualem connexionem, quam habent in uno Corpore myſtico, ſibi mutuo ſpiritualia bona communicant, adeo ut & mali aliquatenus fiant eorum participes, quamdiu cohærent Eccleſiæ. Verum ſicuti in naturali corpore accidit, quod membro reſecto cetera membra nil conferunt; ita quoque ei qui ab Eccleſiæ communione ſejunctus eſt, ceteri Fideles quoad communia Eccleſiæ bona non proſunt. Quæ res etiam poteſt vitis palmitumque ſimilitudine declarari: utraque enim comparatio traditur in Scripturis; hæc Joan. 15. illa Rom. 12. & alibi.

Hanc etiam ſpiritualem pœnam expreſſit Chriſtus, dum Matth. 18. ait: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo*. Sicut ergo ethnici, & publicani, ita pariter excommunicati, ſpiritualium Eccleſiæ bonorum non ſunt participes. Neque enim de eo, qui, propter lepram, aut peſtiferum alium morbum, externa tantum converſatione vitandus eſt, dici recte poteſt, non eſſe habendum ut fratrem, ſed ut ethnicum, & publicanum: ac rurſum dici nequit ligatus in Cœlo, qui per injectum ſibi vinculum nullo ſpirituali bono privatur, ſed ab externo dumtaxat Fidelium conſortio removetur.

Ad

Ad hanc denique confirmandam aſſertionem plurima faciunt. SS. Patrum teſtimonia; ſed brevitatis cauſa unum adducimus Auguſtinum in epiſt. 75. nunc 250. ita de anathematis ſeu excommunicationis pœna ſcribentem: *Neque enim hæc corporalis eſt pœna, qua legimus quoſdam contemptores Dei cum ſuis omnibus, qui ejuſdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Spiritualis autem pœna, qua fit quod ſcriptum eſt*: Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlo, *animas obligat, de quibus dictum eſt*: Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.

Objicies. Homo per fidem, ſpem, charitatem, ceteraſque virtutes, quæ bona ſunt ſpiritualia, Eccleſiæ membrum efficitur: atqui ejuſmodi bona ipſo invito ab Eccleſia auferri non poſſunt, cum tantum propria voluntate poſſint amitti: excommunicatio igitur ſpirituali bono non privat.

Reſp. quædam eſſe ſpiritualia bona, in quibus ſpiritualis vitæ ſubſtantia ſita eſt, ut fides, ſpes, charitas, & reliquæ virtutes, earumque actus; motus etiam, & affectus voluntatis, qui juſtificationem præcedunt, ad eamque diſponunt. Quædam vero alia ſunt accidentalia, quibus homo ad præfata bona adipiſcenda vel conſervanda extrinſecus adjuvatur: ejuſmodi ſunt aliena merita, orationes, ſuffragia, quibus connumerantur etiam ſacramenta. Quamvis itaque prioris generis bona cum ſint homini interna & ab ejus voluntate dependeant, per Eccleſiaſticam poteſtatem ab ipſo auferri non poſſint; poſterioris tamen generis poſſunt, per hoc quod quis excluditur a corpore, in

quo

quo talia bona communicantur: nam & in aliis Communitatibus pari modo contingit, eum qui excluditur a Communitate, ſimul a privilegiis commodiſque ejuſdem Communitatis excludi.

Inſtabis. Apoſtolus in 2. ad Cor. 13. v. 10. de excommunicandi poteſtate loquens, teſtatur eam ſibi a Domino fuiſſe collatam *in ædificationem, & non in deſtructionem*: Eſſet autem in deſtructionem collata, ſi hominem ſpiritualibus bonis orbaret.

Reſp. Eccleſiam, ſicut a Chriſto excommunicandi poteſtatem ad ædificationem accepit, ſic eam exercere; nimirum ad conſervationem totius corporis, ne putridi membri contagione lædatur: & licet eadem poteſtas aliquo modo cedat in damnum ejus qui excommunicationi ſubjicitur, eo quod quibuſdam ſpiritualis vitæ ſubſidiis ſpolietur; ex intentione tamen Eccleſiæ ad ipſius reſipiſcentiam, & utilitatem ſaluberrime ordinatur. Qua de re Seraph. Doctor ait in 4. d. 18. p. 2. a. 1. q. 1. „ quod ſicut ſectio de prima ſua ratione plaga eſt, & dolorem facit; tamen in comparatione ad vulnus apoſtematis eſt medicina: ſic ipſa ſeparatio a communione fidelium dicit malum, & damnum, & pœnam: in comparatione tamen ad rebellem medicina eſt, ut ejus rebellio, & contumacia frangatur. Unde ſicut ille qui ſyllogizat per impoſſibile, deducit ad impoſſibile, non ut ibi ſiſtat, ſed ut redeat ad veritatem: ſic Eccleſia ſeparat & excommunicat, ut redeuntem cum humilitate, & confuſum de contumacia arctius ſtringat, & interius claudat. Et ſic patet, quod quamvis ſit medicina, quia curat morbum rebellionis,

„ quod

„ quod nullus hanc medicinam debet appetere, „ nec debet dari quærenti veram medicinam, „ ſed contemnenti. “ Ex quibus apparet, male prorſus ſtolideque affirmaſſe Lutherum in articulo 24. ex damnatis a Leone X. quod docendi ſint Chriſtiani excommunicationem plus diligere, quam timere.

At dices, Subſiſtere in Eccleſia poterit excommunicandi facultas, ſi Prælati ab externâ fidelium converſatione, & ſacramentorum participatione inobedientes excludant; etiamſi non eos privent communibus Eccleſiæ ſuffragiis, per quod eis ingens ſpirituale damnum affertur. Sat ergo erit talem facultatem agnoſcere, quin hujuſmodi ſpiritualium bonorum ſubtractio admittatur.

Reſp. ex ipſa rei natura conſequens eſſe, ut membrum a corpore ſeparatum, ejuſdem corporis influxum amittat. Eccleſia igitur, quæ poteſtatem accepit contumaces a ſuo corpore ſeparandi, quoties ea poteſtate plene utendum judicat, quod fit per excommunicationem majorem, non debere nec poſſe diverſa ſua intentione efficere, quo minus ille qui ſeparatur, ſubeat ſpirituale detrimentum, ex ſeſe cum tali ſeparatione conjunctum; nempe, quo minus ille communibus Eccleſiæ meritis ac ſuffragiis quæ eidem corpori ſunt propria, ſpolietur.

Ex dictis infertur, excommunicatos, etiamſi pœnitentiam agant, pluraque bona opera faciant, non tamen ſpiritualibus Eccleſiæ bonis, neque ſacramentorum, etiam Pœnitentiæ, participationi reſtitui, niſi prius ab excommunicationis vinculo abſoluti Eccleſiæ iterum inſerantur: prius enim oportet ut quis jungatur cor-

corpori, quam ex eo fructum accipiat. Sicut ex Apoſtolo Rom. 11. prius eſt inſeri in olivam, quam radicis, & pinguedinis olivæ eſſe participem. Quare merito Alexander VII. hanc propoſitionem num. 44. proſcripſit: *Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ*.

Infertur inſuper, excommunicatos privari communibus Eccleſiæ orationibus, & ſuffragiis; iis nempe, quæ pro membris Eccleſiæ, vel pro toto ejus corpore fiunt. Unde S. Thomas in q. 21. ſuppl. a. 1. ad 1. ait: *Pro excommunicatis orari poteſt, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Eccleſiæ fiunt; & tamen fructum non percipiunt, quamdiu in excommunicatione manent: ſed oratur, ut detur eis ſpiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione ſolvantur.* Et ibidem ad 2. adjungit: *Suffragia Eccleſiæ eis non proſunt, quæ pro tota Eccleſia fiunt; nec ex perſona Eccleſiæ oratio pro eis inter membra Eccleſiæ fieri poteſt; quamvis aliqua perſona privata poſſit ad eorum converſionem aliquod ſuffragium per intentionem dirigere.*

Privantur præterea excommunicati auditione Miſſæ, divinorumque Officiorum; nec intereſſe poſſunt Canonicis horis, quæ in Eccleſia publice recitantur, ſicut nec publicis ſupplicationibus, aut aliis ritibus cum aliquo Ordine Clericali connexis. Ita Canones, *Si quis Epiſcopus*, cauſa 11. q. 5. Cap. *Reſponſo*, Extra, *de ſent. excomm. &c.* Secundum veterem diſciplinam, ſi reſipiſcentiæ ſigna dediſſent, permittebantur in Eccleſiam ingredi ad audiendam concionem, ſed exire ſaltem poſt Evangelium cogebantur.

Iiſ-

Iidem Eccleſiaſtica ſepultura donari non poſſunt, ut conſtat ex cap. *Sacris*, Extra, *de ſepulturis*, & Clementina, *Eos*, *qui*, tit. *de ſepulturis*, declarando ipſo facto excommunicatos eos, qui tales *ſcienter ſepelire præſumant*. Cœmeteria autem, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contigerit, *reconcilianda erunt aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ, ſicut in dedicationibus Eccleſiarum fieri conſuevit*, ut reſpondet Innocentius III. cap. *Conſuluiſti*, Extra, *de conſecratione Eccleſiæ*, *vel altaris*. Hæc tamen pœna ad ſolos excommunicatos qui a Judice denunciati ſunt, pertinet, ut habetur in Conſtit. quæ incipit, *Ad vitanda ſcandala*.

Inhabiles quoque excommunicati redduntur ad obtinenda in futurum beneficia, & Eccleſiaſticas dignitates. Unde electio, præſentatio, inſtitutio, collatio, ſi fuerint excommunicato, etiam tolerato, nec vitando, omnino ſunt nullæ, ut patet ex cap. *Poſtulaſtis*, Extra, *de Clerico excomm.* Ut vero quis privari poſſit fructibus ſuorum beneficiorum, quæ ante excommunicationem legitime poſſidebat, requiritur Judicis ſententia; quia ex juris præſcripto eis minime privatur, cum jus expreſſe id non decernat, & reſtringenda ſint odia.

Privantur ulterius uſu ſpiritualis juriſdictionis in foro exteriori; quod liquet ex cap. *Audivimus*, cauſa 24. q. 1. & ex cap. *Romana Eccleſia*, tit. *de Officio Vicarii*, in ſexto &c. Quæ quidem regula ad omnes juriſdictionis actus extenditur; cujuſmodi ſunt præcipere, leges condere, judicium ferre, aliique conſimiles recenſiti in cap. *Accedentibus*, Extra, *de exceſſibus Prælatorum*, & cap. *Dilectus filius*, Extra,

de

Privantur denique omni civili, & politica cum aliis fidelibus communicatione; nullumque amicitiæ, aut familiaritatis ſignum eis eſt exhibendum, ſive verbo id fiat, ſive ſcripto, ſive per nuncium; ac multo minus negotio, menſaque communi cum eiſdem utendum eſt. Unde verſus:

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Quinque tamen excipiuntur caſus, in quibus cum excommunicato civiliter communicare non eſt illicitum: illi autem caſus hoc verſiculo concluduntur:

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Utile ſignificat utilitatem, ſive ſpiritualem excommunicati, ſive temporalem ejus, qui cum illo communicat. In primo caſu communicare cum excommunicato poteſt non ſolum Doctor, aut Concionator, aut Prælatus, aut Parochus; verum etiam alius quiſque ſapiens fidelis, ipſum ſui periculi admonendo, errantem inſtruendo, & ad reſipiſcentiam adhortando. Illi enim, inquit S. Bonaventura in 4. d. 18. p. 2. a. 1. q. 5. *qui communicant ex utilitate, ut convertatur peccator a via ſua mala, cum ſecundum legem charitatis ambulent, non arcentur*. Temporalem vero communicantis utilitatem intelligimus, ſi ab excommunicato quis petat, quod ſibi debet. Id enim repetere etiam in judicio licet, ne excommunicatus de ſua malitia commodum reportare videatur, ut patet ex cap. *Intelleximus*, Extra, *de judiciis*.

Lex denotat debitum conjugale; quia licet conjugi a conjuge excommunicato debitum illud petere, ac viciſſim reddere; ut colligitur

ex cap. *Vere*, diſt. 21.

Humile ſignificat ſubjectionem, qualis eſt filiorum, ſervorum, & familiarium ad parentes, & dominos; qua ex cauſa cum eis etſi excommunicatis participare licite poſſunt, juxta canonem Gregorii VII. *Quoniam multos*, cauſa 11. q. 3.

Res ignorata deſignat ignorantiam tam juris, quam facti; quæ modo ſit probabilis, excuſat juxta citatum Gregorii canonem.

Neceſſe ſignificat neceſſitatem, quæ legem non habet; ſive illa ſit communicantis: unde in eodem canone conceditur, ut peregrinus, qui neceſſaria emere aliunde non poteſt, poſſit ab excommunicatis; & cap. *Voluntate*, Extra, *de ſententia excomm.* permittitur Prædicatoribus, ut poſſint ab excommunicatis eleemoſynam poſtulare. Sive neceſſitas ſit excommunicati: unde Gregorius in laudato canone dicit: *Si quis excommunicatis in ſuſtentationem non ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa dare aliquid voluerit, non prohibemus*. Quæ verba ſatis indicant, non intelligi neceſſitatem extremam, in qua omnino ex divina lege dandam eſſe eleemoſynam manifeſtum eſt.

His itaque exceptis caſibus, qui cum excommunicato excommunicatione majori civiliter ac politice communicat, in minorem excommunicationem incurrit. Nam cum excommunicato excommunicatione minori licet ita communicare (quia excluſus eſt ſolum a participatione ſacramentorum, non a communione fidelium) ſed ſacramenta ei miniſtrare non licet. Advertendum eſt autem cum S. Thoma in q. 23. ſuppl. a. 2. „ quod excommunicatio

(*ma-*

(*major*) poteſt in aliquem ferri dupliciter. Aut „ ita quod ipſe ſit excommunicatus cum omnibus ei participantibus: & tunc non eſt dubium, quod quicumque participat ei, eſt excommunicatus majori excommunicatione. „ Aut eſt excommunicatus ſimpliciter: & tunc, „ aut participat aliquis ei in crimine, ei præbendo conſilium, auxilium, aut favorem; & „ ſic iterum eſt excommunicatus majori excommunicatione. Aut participat in aliis, „ ſicut in verbo, vel in oſculo, vel in menſa; & ſic eſt excommunicatus minori excommunicatione.

Notandum eſt inſuper cum eodem S. Doctore in citata q. a. 3. quod qui in caſibus prohibitis cum excommunicato vitando participat, peccet, non tamen mortaliter, niſi *quando in crimine illi participat, vel in divinis, vel in contemptum Eccleſiæ*. Ut enim bene obſervat ille, *videtur valde grave, quod homo pro uno verbo levi, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet; & multis excommunicantes laqueum damnationis injicerent, quod in eos retorqueretur*. Vide S. Bonaventuram in loco paulo ſuperius laudato.

Tandem adjungimus, unicum eſſe adæquatum minoris excommunicationis effectum, quo ſacramentorum receptio prohibetur. Quapropter in omnibus aliis actibus communicare licet cum excommunicato excommunicatione minori; ac poteſt ille ſacramenta miniſtrare, ſi miniſtrando non recipiat: & ideo cap. *Si celebret*, tit. *de Clerico excomm.* prohibetur ſic excommunicatus celebrare, quia celebratio ſacramenti ſuſceptionem includit. Unde celebrando graviter

 pec-

peccat, non tamen irregularitatem incurrit. Propter quam etiam rationem, ſi ad aliquod beneficium electus fuerit, talis electio, etſi valida, dicitur *irritanda*: quia beneficia ad hoc conferuntur, ut Clerici in ſacris Ordinibus miniſtrent.

CAPUT VI.

De Suſpenſione, & Interdicto, necnon de Depoſitione, Degradatione, & Irregularitate.

Altera cenſuræ ſpecies eſt ſuſpenſio, quæ ita deſcribitur: Cenſura Eccleſiaſtica, qua Clericus aut ordinis, aut officii clericalis, aut beneficii uſu prohibetur. Dicitur itaque Eccleſiaſtica cenſura, quæ fertur in *Clericum*; atque per id ſuſpenſio differt ab excommunicatione, & interdicto, quibus multari quilibet fidelis poteſt, etiamſi ille ſit laicus. Præterea cum Clericum a ſuo beneficio, aut ordine non dejiciat, a depoſitione, & a degradatione diſtinguitur. Prohibet enim dumtaxat ab *uſu*, hoc eſt, ab exercitio ordinis, aut Eccleſiaſtici muneris, ut eſt officialatus; vel privat fructibus, quos Clericus a beneficio perciperet.

Multiplex eſt ſuſpenſio. Primo namque in totalem, partialemque dividitur. Per illam Clericus uſu ordinis, & Eccleſiaſtici etiam officii, necnon beneficii fructibus prohibetur: per hanc

hanc autem ordinis tantum, vel officii, vel beneficii uſu privatur. Secundo dividitur in perpetuam, & eam quæ eſt ad tempus: illa non eſt medicinalis, ſed pura pœna in criminis vindictam inflicta: iſta vero certo determinatur tempore, intra quod Clericus ad mentem redire ſupponitur. Dividitur tertio in eam quæ eſt a jure, & eam quæ eſt ab homine: a jure, cum quis ob ſimoniam, vel ob aliud delictum, ipſo jure ab executione ſui ordinis, vel officii impeditur: ab homine, cum quis Judicis ſententia ab eadem executione ex cauſa removetur.

Nonnullæ ſunt regulæ in ſuſpenſionum praxi ſervandæ. Harum prima eſt: Qui ab ordine ſuperiore ſuſpenditur, non cenſetur ab ordine inferiore ſuſpenſus; quia ordo ſuperior in inferiore ordine non fundatur. E contrario autem ſuſpenſus ab inferiore, a ſuperioris etiam exercitio ſuſpenditur. 2. Clericus qui a divinis ſuſpenſus eſt, ab omni actione ſolemni ſuſpenſus habetur. 3. Cum quis ſimpliciter & abſolute ſuſpenſus declaratur, ſuſpenſio in eum lata intelligitur de totali. 4. *Si quis ſit ſuſpenſus ab ordine tantum, tunc non poteſt ea quæ ſunt ordinis, ſed poteſt ea quæ ſunt juriſdictionis: & e contra ſi ſit ſuſpenſus a juriſdictione, & non ab ordine, non poteſt ea quæ ſunt juriſdictionis, ſed poteſt ea quæ ſunt ordinis: ſi autem ab utroque, tunc neutrum poteſt:* ita S. Thomas in q. 22. ſuppl. a. 3. Quum vero juriſdictionis uſus cum ordinis functione conjungitur, qui eſt ſuſpenſus ab ordine, ſuſpenſus eſt etiam ab uſu juriſdictionis; & ideo ſuſpenſus ab ordine nec confeſſiones audire, nec ſacramenta-

liter poteſt abſolvere. 5. demum: Qui ſuſpenſus ab ordinis exercitio, manente ſuſpenſione, actum aliquem ordinis exerceret, irregularis evaderet: qui vero a juriſdictionis uſu ſuſpenſus aliquem actum juriſdictionis exerceret, irregularitatem nequaquam incurreret; quia irregularitas non imponitur, niſi ob violationem ſuſpenſionis ab ordine.

Jam vero de interdicto aliquid adjungamus. Interdictum eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua certis perſonis, locisque interdicitur, & prohibetur divinorum officiorum celebratio publica, & quorundam ſacramentorum diſpenſatio, & Eccleſiaſtica ſepultura. Per hoc igitur quod interdictum cenſura vocatur, diſtinguitur a ceſſatione a divinis, quam pro gravioribus laicorum in Clericos injuriis Eccleſia introduxit; & quæ reſpectu innocentium, etiam interdicti tempore, cenſura non eſt; quia non eſt pœna, ſed mera quorundam ſacramentorum ac officii divini ſubtractio.

Per interdictum prohibetur uſus ſacramentorum, non quidem omnium, ſed Ordinis, Extremæ Unctionis, Euchariſtiæ (non tamen reſpectu morientium) & Matrimonii ſolemnis, quod nempe ſolemni benedictione conſecratur. Vetatur etiam divinorum officiorum uſus, non quidem privatus, ſaltem in Eccleſiis non ſpecialiter interdictis; idque juxta Bonifacii VIII. caput, *Alma mater*, de ſent. excomm. in ſexto. In feſtis autem Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, & per octavam Corporis Chriſti, campanæ pulſantur, reſerantur Eccleſiæ fores, ſolemnique ritu poſſunt officia celebrari, excommunicatis

pror-

prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis. Indulget etiam eodem in capite Bonifacius, ut ſingulis diebus in Eccleſiis, & Monaſteriis Miſſæ, & alia divina officia celebrentur, ut prius; ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, & campanis non pulſatis.

Per interdictum prohibetur etiam Eccleſiaſtica ſepultura, quæ nempe fiat in loco ſacro, aut Eccleſiaſticis ceremoniis peragatur. Excipiuntur tamen Clerici, qui interdictum ſervarunt; modo illi cauſam omnino non dederint. Hi enim ſepeliri poſſunt in Eccleſiæ cœmeterio, quod non ſit ſpecialiter interdictum; ea tamen lege, ut campanæ minime pulſentur.

Dividitur interdictum in perſonale, locale, & mixtum. Primum ubique locorum quibuſdam perſonis prohibet uſum ſacramentorum, divinorum officiorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ: alterum in determinato dumtaxat loco quodam eundem vetat uſum: tertium denique perſonas, locumque complectitur.

Interdictum tum perſonale, tum locale, in generale, & ſpeciale dividitur. Generale locorum plura loca celebrandis officiis deſtinata comprehendit, ut ſunt Oppidum, Diœceſis, Provincia, Regnum; ſpeciale vero eſt, per quod in ſpeciali aliquo ſacro loco divina vetantur. Item generale perſonarum reſpicit Communitatem aliquam, in qua plures perſonæ morantur: ſpeciale autem in unam vel paucas perſonas nominatim fertur.

Poſtremo interdictum aliud eſt a jure, aliud ab homine; uti ſuperius de ſuſpenſione, & excommunicatione notavimus.

Monendum præterea eſt, quod interdictum ex ſeſe determinata loca, certaſque perſonas afficiat. Hinc ſi templum aliquod interdictum eſt, populus non cenſetur interdictus, debetque ad aliud templum confluere, ut divinis interſit: & ſi interdicti ſententia lata ſit in populum, Clerici nequaquam interdicti cenſentur; nec interdicto Clero, interdictus cenſetur & populus: *Unde uno interdicto ipſorum alius admittitur ad divina*; ut habetur in cap. *Si ſententia*, tit. *de ſent. excomm.* in ſexto:

Deinde totius Civitatis interdictum eos omnes afficit, qui ad eandem pertinent civitatem. Cum item interdicitur Civitas, eo interdicto comprehenduntur ſuburbia, & ædificia civitati vicina. Similiter cum interdicitur templum, interdicuntur quoque cœmeteria, & capellæ contiguæ; non autem e converſo.

Inſuper interdicti ſententia omnino ſervanda eſt. Quare ſi Clerici divina officia celebrent, ſuaque exerceant miniſteria perſonali interdicto ligati, irregularitatem incurrunt, etiamſi ab interdicti ſententia appellaverint.

Item, ſi illi nominatim aut generaliter interdictos ad aliqua divina admittant, incidunt in interdictionem latæ ſententiæ ab ingreſſu Eccleſiæ; a qua abſolvi non poſſunt, niſi ſatiſfactione peracta ad arbitrium Judicis Eccleſiaſtici, a quo latum fuit interdictum. Quod ſi poſtquam interdictionem illam incurrerint, ipſi celebrent, in irregularitatem incidunt, & Eccleſiaſtica ſepultura privantur.

In excommunicationem quoque latæ ſententiæ incidunt, ſi perſonas nominatim interdictas in cœmeterio, vel in Eccleſia ſepelire præſu-

ſumant: quæ pœna locum habet, ſive qui ſepeliunt ſint laici, ſive ſint Clerici, ſive exempti, ſive non exempti; ab eaque, niſi peracta ſatisfactione ad arbitrium Judicis qui interdictum tulit, abſolvi non poſſunt.

Hactenus de cenſuris pro ſufficienti Tyronum eruditione tractavimus. Eadem nunc brevitate de depoſitione, degradatione, & irregularitate, quæ ſunt cenſuris affines, agendum eſt. Depoſitio igitur eſt Eccleſiaſtica ſententia, qua Clericus in perpetuum privatur officio, & beneficio, non tamen amiſſo privilegio clericali.

Et primo quidem ſententia dicitur, non cenſura; hæc enim uti medicinalis pœna ad correctionem uſque ad tempus infertur; depoſitio autem, ſicut & degradatio, de ſua ratione in perpetuum infliguntur. Lege S. Thomam in 3. p. q. 82. a. 8. ad 3. Deinde depoſitio dicitur Clericali privilegio non privare; per quod illam inter, & degradationem diſcrimen oſtenditur: degradatio enim ita Clericum dejicit, ut eum etiam privilegio Clericali denudet; ita, ut qui percuſſerit degradatum, non alias pœnas incurrat, quam ſi laicum percuſſiſſet.

Depoſitio, ſicuti de ſuſpenſione diximus, poteſt eſſe ab officio, beneficio, & etiam ordine; quæ eſt totalis depoſitio: poteſt quoque eſſe tantum ab alterutro; & hæc eſt depoſitio partialis.

Patet ex dictis degradationem a depoſitione in eo differre, quod illa auferat privilegium fori, & canonis; iſta vero non item. Differunt inſuper, quod depoſitio verbis, non factis agatur; at degradatio etiam factis, & quadam ſo-

le-

lemnitate, ut in Pontificali Romano deſcribitur. Hinc depoſitionis ſententia ferri in abſentem poteſt; degradatio vero præſentiam degradandi requirit. Denique, valide & juſte depoſitum poteſt Epiſcopus reſtituere, ubi emendatus reſipuerit; dummodo reſtitutio ex gratia, non ex jure petatur: ſolus autem Romanus Pontifex poteſt reſtituere degradatum, utpote qui eſt a Clero omnino dejectus.

Quod tandem ad irregularitatem pertinet, notamus 1. hanc ejus eſſe deſcriptionem: Eſt impedimentum canonicum ordines ſuſcipiendi, aut ſuſceptos exercendi. Vocatur impedimentum, non vero pœna, ut diſtinguatur a cenſura, quæ uti culpam ſupponit, ita & ſemper eſt pœna: irregularitas autem ex ſeſe culpam non ſequitur, proindeque pœna non eſt, neque cenſura. Dicitur canonicum, ſeu latum a canonibus, Eccleſiæque decretis: irregularitas enim non niſi in caſibus Eccleſiaſtico jure expreſſis incurritur. Impedit autem illa ordinum ſuſceptionem licitam, non vero validam, ac ſub ordinum nomine prima etiam tonſura comprehenditur.

Duæ ſunt irregularitatis ſpecies, ex defectu nimirum, & ex delicto. Octo numerantur defectus, ex quibus oritur irregularitas: eorum autem quinque mere ſpirituales ſunt, ceteri corporales. Priores ſunt, defectus rationis, famæ, lenitatis, libertatis, ſignificationis: poſteriores vero ſunt, defectus natalium, ætatis, & membrorum.

Propter defectum rationis in ſacris Canonibus irregulares declarantur energumeni, amentes, epileptici, ſeu qui morbo caduco laborant; il-

illiterati inſuper, ac neophyti.

Ex defectu famæ irregulares primo cenſentur comœdi, qui publice in ſcena luſerunt: ſecundo, ii, qui graviora crimina per publicam pœnitentiam defleverunt: tertio, publici uſurarii in judicio convicti, vel aliis ſceleribus, quæ infamiam inferunt, inquinati.

Lenitatis defectus invenitur in iis, qui ad alicujus mortem, notabilemque mutilationem directe vel indirecte, & juſte vel injuſte concurrunt. Hujuſmodi ſunt milites etiam in bello juſto certantes, Cauſidici qui cauſas egerint criminales, Judices qui reos capitis aut mutilationis pœna damnaverint, teſtes etiam qui iiſdem in cauſis accuſaverint aut damnationem conſilio ſuo ſuaſerint, atque ad illam impulerint.

Defectu libertatis irregulares ſunt ſervi, niſi ante libertate donentur; ſicut & milites, niſi diſceſſionem a militia prius obtineant. Qui etiam publicis ratiociniis obligantur, antequam iis fecerint ſatis, ordines ſuſcipere prohibentur.

Defectus ſignificationis ex bigamia contrahitur. Cum enim Clericorum ordinatio ſit matrimonium ſpirituale ad inſtar illius, quo Chriſtus cum Eccleſia, & Verbum cum humanitate conjungitur; & hoc ſit unius cum una dumtaxat; hujuſmodi ſignificatio non invenitur in bigamo. Itaque bigamia in eo contingit, qui cum pluribus carnali conjugio commiſcetur. Hæc autem triplex eſt; vera videlicet, interpretativa, & ſimilitudinaria. Vera eſt matrimonium cum duabus uxoribus ſucceſſive contractum, & conſummatum, ſive Baptiſmum præcedat, ſive ſequatur.

Bi-

Bigamia interpretativa eſt illa, qua aliquis etſi non ſit vere bigamus, ex juris tamen interpretatione habetur ut bigamus. Hujuſmodi eſt ille qui multas uxores habuit, ſed non veras; puta, qui duo matrimonia, vel ſaltem alterum, cum impedimento dirimente contraxit. Qui etiam putans ſe ducere virginem, eam invenit eſſe corruptam, quocumque id modo contigerit. Qui poſtremo cum virgine quidem nupſit, ſed quæ poſt nuptias mœchata cum altero eſt; ſi tamen poſt adulterium eam cognovit, non vero ſi reliquit intactam.

Bigamia ſimilitudinaria tunc eſt, quum quis ſolemni caſtitatis voto in approbata Religione emiſſo, vel ſacris Ordinibus adſtrictus attentat conſummatque matrimonium, etiamſi virgini copuletur: nam per matrimonium carnale quod contrahit, violat ſpirituale quod ante contraxerat.

Defectus natalium eos omnes reddit irregulares, qui ex legitimo conjugio non ſunt procreati. Tribus autem modis irregularitas iſta tollitur; 1. per ſubſequens matrimonium, 2. per ſolemnem in Religione profeſſionem, 3. per diſpenſationem.

Irregulares ex defectu ætatis ſunt, qui præſcriptam non habent ætatem, hoc eſt, annos 22. pro Subdiaconatu, 23. pro Diaconatu, 25. pro Presbyteratu, 30. pro Epiſcopatu. Qui igitur ante legitimam ætatem ſacrum aliquem Ordinem præſumunt accipere, ipſo facto ſuſpenduntur, & ſi illum exerceant, irregulares evadunt. Neque poſſunt etiam ſuperveniente ætate eundem Ordinem exercere, priuſquam a prædicta ſuſpenſione abſolutionem obtineant; ita de-

decretum eſt in Conſtitutione Pii II. *Cum ex ſacrorum*. Hac tamen Extravagante comprehenduntur tantum qui præſumunt accipere, non qui ignoranter accipiunt.

Defectus membrorum, vitiumque corporis irregularitatem inducit, quum vel abſolute Ordinis exercitium impedit, qualis eſt cæcitas; vel quum gravem ingerit horrorem, deformitatem, contemptumque perſonæ; ut qui lepra laborat, vel oculo ſiniſtro caret, &c.

Irregularitas vero quæ oritur ex delicto, incurritur 1. per hæreſim, ſchiſma, & apoſtaſiam a fide: id tamen de communi jure verum eſt; nam in Gallia, & alibi hæretici ad fidem converſi non habentur ut irregulares.

2. Irregularitatem incurrunt, qui Baptiſmum iterato vel conferunt, vel percipiunt, vel conferenti miniſtrant. Non tamen eadem ratio eſt de iterata Confirmatione, vel Ordine; quia nihil in jure de ſacramentis iſtis expreſſum habetur: omnis autem irregularitas diſtincte in jure contineri debet, & exprimi.

3. Irregulares ſunt qui cenſuris ligati, ſacrum Ordinem ſuſcipiunt, vel exercent: ii etiam, qui obire audent miniſteria ſacrorum Ordinum, quos minime ſuſceperunt.

4. Contrahitur irregularitas ex homicidio voluntario, & illicita mutilatione membrorum. Hinc irregularitatem contrahit qui per ſeipſum mutilat, aut occidit; eo tamen excepto, qui injuſtum vitæ invaſorem interficit cum moderamine inculpatæ tutelæ: qui etiam juſſione, vel conſilio, vel auxilio ad homicidium, vel ad illicitam membrorum mutilationem concurrit, ipſo facto irregularis evadit.

No-

Notandum denique eſt, ſolum Romanum Pontificem diſpenſare poſſe in irregularitatibus quæ ex mero defectu naſcuntur. In illis autem quæ oriuntur ex delicto, poſſunt Epiſcopi diſpenſare, dummodo ex delicto occulto proveniant; excepta tamen irregularitate, quæ ex homicidio voluntario occulto contrahitur, uti decretum fuit in Tridentino Concilio ſeſſ. 24. de Reform. c. *6.*



DE

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XXXIII.

Ubi quæ ad Sacramentum Unctionis Extremæ pertinent, exponuntur.

Præcedenti de Pœnitentia libro recte prorſus hunc alterum, in quo de Sacramento Unctionis Extremæ diſſeritur, duximus adjungendum : ut enim Synodus Tridentina ſeſſ. 14 docet, Sacramentum iſtud *non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt a Patribus*. Idcirco autem dicitur Extrema Unctio, quod, uti in Catechiſmo Rom. legitur p.2. c.6. n.1. *hæc omnium ſacrarum unctionum, quas Dominus Salvator noſter Eccleſiæ ſuæ commendavit, ultima adminiſtranda ſit. Quare hæc ipſa unctio a Majoribus noſtris ſacramentum etiam unctionis infirmorum, & ſacramentum exeuntium dicta eſt; quibus vocabulis Fideles in memoriam noviſſimi illius temporis*, mortis nempe, *facile redire poſſint*. Quidquid itaque ad Sacramenti hujus exiſtentiam, dignitatemque præcipue ſpectat, hic breviter explanandum ac defen-

fendendum contra infenſos veritatis hoſtes Deo aſpirante conabimur.

CAPUT I.

Oſtenditur Unctionem Extremam eſſe verum propriumque Sacramentum.

PRopoſitio. Extrema Unctio eſt verum ac proprium legis Evangelicæ Sacramentum: eſt contra Lutherum, Calvinum, alioſque omnes poſteriores hæreticos.

Probatur. Jacobus Apoſtolus in catholica epiſtola c. 5. vv. 14. & 15. ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. His autem verbis evidenter exprimitur quidquid verum propriumque ſacramentum expoſtulat. Habetur enim ſenſibile ſignum, olei ſcilicet unctio, & Presbyterorum oratio, quæ duo ſacramenti hujus materiam formamque conſtituunt. Habetur & gratiæ promiſſio eidem unctioni, & orationi connexa; nam legitur: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*. Divina tandem inſtitutio ex eo colligitur, quod neque Jacobus, neque alius quicunque poſſit gratiam cum exteriori ſigno conjungere; ac præterea nunquam Jacobus in catholica epiſtola omnibus præcepiſſet Eccleſiis, ut unctionis hujus ritum ſancte ſervarent, niſi illum a Domino, qui ſacramento-

rum

rum ſuorum eſt auctor, accepiſſet.

Perpetua inſuper traditione Sacramenti hujus fides adſtruitur. Origenes enim homilia 2. in Leviticum inter alia remedia, quibus in Evangelica lege Fideles remiſſionem peccatorum conſequuntur, Pœnitentiam, Extremamque Unctionem enumerat, inquiens: *Eſt adhuc ſeptima licet dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum, qui ait: Dixi, pronunciabo adverſus me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod & Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, &c.* Hic Origenes duo ſimul Sacramenta conjungit, Pœnitentiam ſcilicet, & infirmorum Unctionem, quod hæc a Patribus exiſtimata eſt tanquam perfectio, & conſummatio Pœnitentiæ, perinde ac Confirmatio habita ſemper eſt uti conſummatio perfectioque Baptiſmatis: atque inde quorundam Græcorum praxis fluxiſſe videtur, ut pœnitentes jam abſolutos in ſatisfactionis ſupplementum inungerent.

Chryſoſtomus in lib. 3. de Sacerdotio n. 6. de Sacerdotum poteſtate in relaxandis peccatis hæc habet: *Neque enim ſolum cum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accerſat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, &c.*

Innocentius I. in epiſt. ad Decentium c. 8. poſt recitata Jacobi verba ita ſubjungit: *Quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo*: Et poſt pauca: *Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi*. Ubi profecto Innocentius de vero proprioque ſacramento loquitur, cum Unctionem & *ſacramenti genus* appellet, & illam reliquis *ſacramentis* comparet, quæ publicis pœnitentibus negabantur.

Idem præterea dogma tradiderunt Auguſtinus in Speculo, Gregorius M. in Sacramentario, aliique quos laudant Natalis Alexander, Launojus, Juenin, Berti, ceterique Theologi.

Permultæ denique Synodi id confirmant, quas inter Conſtantienſis anno 1414. decrevit ſuſpectos de hæreſi, & ad Eccleſiam redeuntes interrogandos eſſe, num credant, *quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem ſacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, peccet mortaliter?* Florentina in Decreto Unionis anno 1439. Extremam Unctionem inter ſacramenta recenſet, & ejus materiam, formam, effectuſque declarat. Tandem Synodus Tridentina ſeſſ. 14. anno 1551. hunc de Extrema Unctione canonem 1. edidit: *Si quis dixerit, extremam unctionem non eſſe vere & proprie ſacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a B. Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit*. Ob-

Objicies 1. cum Luthero. Jacobi epiſtola perperam in ſanctarum Scripturarum Canonem intruſa eſt; nullum itaque robur habet, quod ex ea depromitur argumentum. Deinde etſi Canonica vere eſſet, & genuinus Jacobi Apoſtoli fœtus, non poterat ille inſtituere ſacramentum; cum id homini Deo dumtaxat, Chriſto nempe, conveniat.

Reſp. quod licet epiſtola illa non ſtatim ab initio Eccleſiæ exploratiſſimam ubique auctoritatem habuerit, ſed hanc, ut de Scriptoribus Eccleſiaſticis inquit Hieronymus, *paulatim obtinuerit*, quod & quibuſdam aliis Canonicis libris contigiſſe notiſſimum eſt; nemo tamen, niſi impudentiſſimus ac perditiſſimus, poteſt modo auctoritatem illam in dubium revocare, quam Concilia, Patres, Romanique Pontifices communi calculo comprobarunt. Lege Canum, Bellarminum, Gotti, Berti, alioſque Theologos, & Scripturarum Interpretes.

Neque ex Jacobi verbis infertur, illum *inſtituiſſe* ſacramentum iſtud, ſed ſolummodo *promulgaſſe*, ut loquitur Synodus Tridentina. Sicuti nempe non hominis inventa, ſed Domini præcepta ſunt, quæ de oratione, de eleemoſyna, de operibus fidei conjungendis &c. eadem in epiſtola recenſentur.

Objicies 2. cum Calvino. Unctio, de qua ſcribit Jacobus, ordinata tantum fuit ad corporum curationem per donum miraculorum, quod in Eccleſia tunc vigebat: non ergo verum fuit ſacramentum perpetuo duraturum. Probatur antecedens: Non enim S. Jacobus aliam unctionem faciendam eſſe præſcribit, quam illam de qua loquitur S. Marcus c. 6. v. 13. ubi de Apo-

ſtolis ad prædicandum miſſis refert , quod *ungebant oleo multos ægros , & ſanabant* . Ejuſmodi autem unctio non fuit verum ſacramentum quod animæ gratiam conferret , ſed ſimplex nuduſque ritus qui infirmis ſolum corporibus medebatur . Non ergo unctio illa ad nos pertinet , quibus curationum gratia commiſſa non eſt .

Reſp. falſum eſſe quod Jacobus de ſola corporum curatione loquatur . Unctio enim quam ille commendat , ad peccatorum remiſſionem primario ordinatur : *Si in peccatis ſit , remittentur ei* . Deinde gratia ſanitatum nec ſolis Preſbyteris , neque his omnibus conferebatur , ſcribente Paulo 1. ad Corinth. 12. v. 9. *Alii gratia ſanitatum , alii operatio virtutum , alii prophetia , alii diſcretio ſpirituum , &c.* At Jacobus non eos qui ſanitatum gratia pollerent , ſed *Presbyteros Eccleſiæ* dixit eſſe vocandos ut ungant. Præterea Jacobus de ſolis ægrotis fidelibus eo in loco pertractat ; miraculorum autem gratia potius pro infidelibus , & in fide hæſitantibus , quam pro fidelibus collata fuit , teſte Apoſtolo 1. ad Cor. 14. v. 22. *Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus , ſed infidelibus* . Accedit inſuper , quod Jacobus de iis loquitur , qui ægritudine decumbunt , & infirmitate gravantur ; curationis autem dono non tales ſolummodo ſanabantur , ſed & muti , cæci , ſurdi , claudi , aliique quocunque malo detenti : neque tantum oleo , ſed cujuſlibet rei applicatione , immo quandoque ſola manuum extenſione , aut impoſitione ſanitas reddebatur , juxta Chriſti promiſſum , Marci ult. v. 18. *Super ægros manus imponent , & bene habebunt* . Ex his itaque con-

ſtat

ſtat Jacobi ſententiam non poſſe de gratia curationum intelligi, ſed indicare verum ac proprium ſacramentum, quod etiam poſt Evangelii dilatationem neceſſario retinendum eſt. Et ſane Jacobus abſolute, & ſine temporis limitatione loquitur: ac præterea omnia alia præcepta, & inſtituta quæ tradit, nullis ſive temporum, ſive locorum coarctantur anguſtiis. Lege contextum.

Quod ad objectum Marci teſtimonium ſpectat, advertimus, Interpretes Theologoſque non paucos affirmaſſe, quod & ipſe de ſacramento Unctionis Extremæ loquatur. At alii, quibus ſuffragatur S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 1. q. 2. probabilius id inficiantur, 1. quia quando apud Marcum Apoſtoli ægros ungebant, nondum conſtituti erant Sacerdotes, a quibus tantum poteſt Unctio extrema conferri: 2. quia illi ungebant ægros omnes, non decumbentes ſolos, quibus ſacramentalis Unctio miniſtratur: 3. quia promiſcue omnes, aut baptizatos, aut non baptizatos, ea unctione ſanabant; cum tamen baptizati ſolum ſint ſacramentali oleo inungendi: 4. tandem, quod nullum ibi extet remiſſionis peccatorum & ſacramentalis gratiæ veſtigium, quod in Jacobi epiſtola invenitur expreſſum. Quapropter dicendum videtur, unctionem, de qua Marcus, non fuiſſe ſacramentum, ſed typum ſeu figuram ſacramenti Unctionis extremæ; ſicut aqua Siloe fuit figura Baptiſmatis, & manna Euchariſtiam in typo monſtravit; ut quod illis ſignis circa corpus geſtum eſt, circa animam poſtea efficeretur per Eccleſiæ ſacramenta. Et hac ratione Tridentini Patres in cap. 1. dixerunt ſacramentum iſtud

apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum. Vide Eſtium in 4. d. 23. §. 6.

Poſtremo notamus, non ſolum ſacramentalem Unctionem, verum etiam unctionem olei benedicti, quo in morbis curandis laici quoque & mulieres utuntur, perantiqua conſuetudine comprobari; nec unquam miraculorum donum, gratiamque curationum in vera Chriſti Eccleſia deſiiſſe; uti permultis exemplis contra heterodoxos oſtendit Cl. P. Berti in lib. 35. c. 1. propoſ. 1. ad 4. argumentum.

Objicies 3. Unctio quæ apud Jacobum legitur, decumbenti proderat ob orationem & fidem: *Oratio fidei ſalvabit infirmum.* Atqui unctio quæ verum ac proprium ſacramentum eſt, juxta Catholicos ex opere operato producit effectum.

Deinde Jacobus non abſolute, ſed conditionate promittit per Unctionem remittenda eſſe peccata: *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* Uti vero Pontificii ſentiunt, novæ legis ſacramenta abſolute gratiam conferunt, & peccata remittunt.

Idem præterea Apoſtolus ad ægrotum ungendum plures mandat vocari Presbyteros: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ.* In Romana tamen Eccleſia unus dumtaxat vocatur Presbyter ad ungendum.

Denique Jacobus unctionem commendat faciendam infirmis, in quibus adhuc ſpes ſanationis effulget: Catholici autem ſolos inungunt ægrotos in proximo mortis periculo conſtitutos.

Reſp. ad 1. a Jacobo Unctionem cum oratio-

tione conjungi, *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*: ex quo ſatis apparet effectum tribuendum eſſe ipſimet ſacramento, ſeu viſibili ſigno, quod ex unctione ſimul & oratione componitur. Idcirco autem ſolam poſtea orationem nominat, quia in hoc ſacramento oratio eſt ipſa forma, cui tanquam priori parti potius quam vel materiæ vel hujus applicationi, effectus adſcribitur. Eadem vero forma vocatur oratio fidei eodem in ſenſu, quo etiam forma Baptiſmatis verbum fidei nuncupatur, objective videlicet, quia fidei objectum ſive myſterium continet; non vero formaliter, quia a miniſtrantium fide non pendet. Recole quæ ſcripſimus in lib. 24. c. 3. ad 3. objectionem. Aut cum S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 1. q. 4. reſponde: *Oratio fidei dicitur non ipſius inungentis, ſed ipſius Eccleſiæ, in cujus fide adminiſtrantur ſacramenta.*

Ad 2. In hac oratione, *Si in peccatis ſit, remittentur ei*, particula hypothetica *ſi* non aſficit poſtremum verbum *remittentur*, ſed ſubſtantivum *ſit*; ideoque inepte effectus ambiguitas hinc infertur, quantum ad peccati pertinet remiſſionem. Planus itaque ſenſus eſt, Si infirmus peccata habeat, eorum remiſſionem per unctionem, & orationem fidei conſequetur. His adde, quod particula *ſi* non conditionem incertæ rei, ſed conceſſionem rei indubitatæ ſæpe ſignificat, uti, *exempli cauſa*, in 2. ad Theſſal. c. 1. v. 6. legitur: *Si tamen juſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos conturbant*; id eſt, *Siquidem juſtum eſt*, *&c.* Hinc nonnulli ita Jacobi textum exponunt: Cum conſtet omnem hominem non ca-

rere peccatis, hæc remittentur infirmis beneficio unctionis.

Ad 3. Eſt ibi numeri enallage, ſive permutatio, qua pluralis numerus pro ſingulari ſupponit: ſicut etiam dicimus peccata noſtra aperienda eſſe Presbyteris, ideſt alicui ex Preſbyteris. At id clarius exponetur infra, ubi de hujus ſacramenti miniſtro loquemur.

Ad 4. Etſi Extrema Unctio adminiſtretur iis, qui in exitu vitæ conſtituti videntur; unde & ſacramentum exeuntium nuncupatur; confertur tamen & aliis, qui gravi morbo decumbunt, ex quo interdum poſtea convaleſcunt. Sed de hoc etiam infra.

Ex hucuſque dictis infertur, Unctionem Extremam hoc, vel ſimili alio modo poſſe deſcribi: *Eſt Evangelicæ legis ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, ut per olei unctionem, orationemque Sacerdotis infirmus contra diaboli muniatur inſidias, ſalutemque animæ, imo & corporis, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequatur.*

CAPUT II.

De remota & proxima hujus Sacramenti materia.

JAm alibi ſæpe notavimus, duplicem in Sacramentis diſtingui materiam, remotam nimirum, & proximam. Remota eſt res illa ſenſibilis, quæ ad ſacramenti ſignificationem aſſumi-

mitur: proxima vero eſt actio, per quam ſubjecto eadem res ſenſibilis applicatur.

Quod itaque ad ſacramentum Unctionis extremæ pertinet, 1. dicimus, remotam materiam ejus eſſe oleum ex olivis expreſſum, & ab Epiſcopo conſecratum. Scribit namque Jacobus, *Ungentes eum oleo*: hoc autem nomine proprie non aliud ſignificatur quam oleum olivarum, ſicut aquæ nomine non niſi elementaris aqua poteſt intelligi, & nomen panis triticeum panem oſtendit. Conſtat id inſuper ex Eccleſiæ traditione, & praxi, quam exponens Synodus Florentina in Decreto Unionis ait: *Quintum ſacramentum eſt Extrema Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum*. Tridentinum quoque Concilium ſeſſ. 14. cap. 1. ſcribit, ex Apoſtolica traditione per manus accepta, Eccleſiam intellexiſſe, *materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum; nam Unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat.*

Hinc bene Doctor Angelicus in ſuppl. q. 29. a. 4. dicit, „ quod ſpiritualis ſanatio quæ in „ fine adhibetur, debet eſſe perfecta, quia poſt „ eam alia non relinquitur; & lenis, ut ſpes „ quæ exeuntibus eſt maxime neceſſaria, non „ frangatur, ſed foveatur: Oleum autem lenitivum eſt & penetrativum uſque ad intima, „ & etiam diffuſivum. Et ideo quantum ad „ utrumque prædictorum eſt conveniens materia hujus ſacramenti: Et quia *oleum* principaliter nominatur olivæ liquor, cum alii liquores ſolum ex ſimilitudine ad ipſum, *olei* „ nomen accipiant; ideo oleum olivæ etiam „ debet eſſe, quod aſſumitur in materiam ha-

„ jus

„ jus ſacramenti : unde *oleum* ab *oliva* vel ab „ *olea*, ſicut ἔλαιον græce ab ἐλαία denomina„ tur. " Legendus hic eſt Catechiſmus Rom. p. 2. c 6. n. 5.

Ejuſmodi autem oleo neque balſamum, neque liquor alius eſt admiſcendus; cum neque Latinorum Pontificalia, neque Græcorum Euchologia, neque Veterum ſcripta, ubi de hoc infirmorum oleo tractant, ullam commemorent mixtionem. Congruam etiam hujus rei rationem aſſignat S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 1. q. 3. inquiens, quod licet in Confirmatione oleum cum balſamo ſit miſcendum, non tamen in Extrema Unctione; „ quia in Confirmatione „ datur gratia ad pugnandum in vita, per „ quam oportet ambulare non ſolum ſecundum „ placentiam ad Deum, verum etiam ad pro„ ximum. Sed in Unctione datur gratia ad re„ ſiſtendum diabolo, ne poſſit detinere; & ad „ hoc non eſt neceſſaria fama, ſed bona con„ ſcientia: & quia balſamum aromatizans ſi„ gnificat bonam famam, & oleum nitens bo„ nam conſcientiam; ideo &c. " Similia in hanc 23. diſt. ſcribit Ven. Scotus, ac etiam S. Thomas in ſupplem. q. 29. a. 4. ad 1.

Neque obſtat, quod ab Innocentio I. in epiſt. ad Decentium c. 8. oleum infirmorum *oleum chriſmatis* appelletur; nam licet antonomaſtice *Chriſma* ſit balſami oleique commixtio, χρίω tamen nihil ſonat aliud, quam *ungo*: unde apud Veteres infirmorum oleum ſimpliciter *Chriſma* vocatur; oleum vero permixtum balſamo dicitur *Chriſma principale*, uti ex Du Cangio notat Berti in lib. 35. c. 1.

Maledico hic dente Calvinus carpit olei bene-

nedictionem, quam facit Epiſcopus: at inſcite prorſus, impieque. Hanc enim benedictionem exhibent antiquiſſima Latinorum Pontificalia, & Græcorum Euchologia; ejuſdemque meminit Innocentius I. in citata ad Decentium epiſtola, ac tandem Ven. Beda in cap. *6.* Marci ſcribit illam ex Apoſtolica traditione deſcendere. Falluntur præterea Calvinus, & quicunque ex hæreticis arbitrantur, olei aliarumque rerum benedictiones Chriſti meritum obſcurare: nam ſanctificatio quælibet Crucis ſigno peragitur, ut ejus efficaciam Chriſti meritis referamus acceptam. Deinde Chriſtus ipſe nos docuit res profanas benedictionibus expiare, non in ſacro tantum & religioſo, ſed & in quotidiano communique uſu; tametſi in hoc non ſit peculiaris benedictio adhibenda. Ita Matth. 14. v. *19.* benedixit ille quinque panes, duoſque piſces, & c. *26.* v. *26.* panem ac calicem benedixit.

At quæres, num Epiſcopalis benedictio olei ad ſacramenti neceſſitatem ita pertineat, ut nec Romanus Pontifex hac in re valeat diſpenſare?

Reſp. juxta probabiliorem opinionem, poſſe in Latina Eccleſia ſimplicem Sacerdotem ex Apoſtolicæ Sedis indulto infirmorum oleum ſolemniter conſecrare. Græci namque Presbyteri juxta veterem eorum ritum id præſtant, de quo Clemens VIII. in Conſtit. edita anno 1595. ita ſcribit: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & ſacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur:* idemque confirmavit Benedictus XIV. an-

no

no 1742. in Conſtit. *Etſi Paſtoralis*. Non igitur ex ſacramenti neceſſitate requiritur, ut Epiſcopus infirmorum oleum benedicat; adeoque ex Romani Pontificis conceſſione poteſt ſimplex Sacerdos in Latina Eccleſia idem oleum conſecrare. Quod autem Latinis Presbyteris id ordinario jure non competat, infertur ex perpetua conſuetudine, & ex Occidentalibus Conciliis omnibus, quæ oleum ab Epiſcopo benedictum hujus Sacramenti materiam eſſe dixerunt.

Plures præterea Theologi autumant valere Sacramentum iſtud oleo non conſecrato collatum, cum nullum ſatis firmum proferri poſſit argumentum oſtendens, quod non ex ſola præcepti neceſſitate, ſed ex neceſſitate etiam ſacramenti, prævia olei conſecratio, ſive benedictio requiratur. Hinc idem hac de re ſentiunt, quod de chriſmatis conſecratione nos alibi diximus. Vide lib. 26. c. 2. neque prætereas P. Berti in lib. 35. c. 4. prop. 4.

Circa vero proximam hujus Sacramenti materiam adnotamus, diverſam circa partes corporis inungendas obtinuiſſe tranſactis ſeculis diſciplinam: nunc autem Græci, uti teſtatur Arcudius in lib. 5. Concordiæ c. 7. ungunt *frontem, mentum, ambas genas; deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, poſtremo pedes*. At Rituale Romanum, cui Ritualia plura conſentiunt, inungendos præcipit *oculos, aures, nares, os, & manus; pedes etiam, & renes; quæ tamen renum unctio in mulieribus honeſtatis gratia ſemper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt*.

Hunc ungendi modum aſſignat etiam Eugenius

nius IV. in Decreto pro inſtructione Armenorum, inquiens: *Ungendus eſt*, infirmus, *in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.*

Clarius id inſuper explicat illuſtratque S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 2. q. 3. ſcribens: „ Finis imponit neceſſitatem his quæ ſunt ad finem: quoniam ergo iſtud Sacramentum principaliter ordinatur ad venialium deletionem, ſecundum quod ex textu Beati Jacobi innuitur, & venialia perpetrantur ab anima ſecundum unionem ipſius ad carnem corruptam, & hoc eſt per potentias, per quas unitur corpori ut organico; & ideo recte in deletione talium peccatorum debet medicamentum exterius adhiberi ſecundum id quod habet ſenſibile circa organa ipſarum potentiarum. Eſt autem triplex potentia animæ ſecundum quam regitur corpus, & eruditur, & nutritur, ſecundum quam ad exterius comparatur, ſcilicet ſenſitiva, generativa, & progreſſiva: & ideo organa iſtarum potentiarum debent inungi. Et quoniam quinque ſunt organa deſervientia quinque ſenſibus, ſcilicet os, oculi, nares, aures, & manus, & lumbi deſerviunt generativæ, pedes vero virtuti progreſſivæ: ideo iſtæ ſeptem partes inunguntur. Et ſic patet, quod nec totum corpus debet inungi, nec una pars determinata. “ Lege etiam S. Thomam in ſuppl. q. 32. a. 6. & Catechiſmum Rom. in p. 2. c. 6. n. 10.

Mo-

Monet præterea laudatum Rituale Romanum, quod *ſi quis ſit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma*. Qua de re Seraph. Doctor citato in loco ait: *Si tu objicias, quod eſt implicatio falſi in forma; dicendum, quod falſum eſt, quia cæci libenter vellent videre, & ſurdi auditum deſiderant, quamvis non audiant: ideo recte debent in talibus membris inungi, quia per talia membra aut peccaverunt, aut peccare voluerunt, ſaltem veniali appetitu*. Similia ſcribit etiam S. Thomas in indicata ſuppl. q.32. a.7.

Legitur inſuper eodem in Rituali, quod *manus, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur*. Cujus quidem rei ratio iſta paſſim affertur: quia ad ſacrum Presbyteratus ordinem promoti in manuum vola conſecrato oleo ab Epiſcopis ſunt delibuti; ideoque congruum non eſt, ut ibidem a ſimplici Sacerdote inungantur.

Circa numerum unctionum notandum hic eſt, communiorem ac probabiliorem eſſe ſententiam, quod ad ſubſtantiam ſacramenti ſufficiat, ſi una tantum corporis pars ungatur; licet Theologi plures affirment, ſaltem quinque ſenſus neceſſario eſſe ungendos. Et profecto certus unctionum numerus neque ex Scriptura, neque ex traditione colligitur. Præcipit quidem S. Jacobus, ut ungantur infirmi; ubi autem ungendi ſint, omnino non indicat. Eccleſiarum quoque diſciplina plurimum variat, ac interdum unam capitis unctionem memorat, interdum plures alias, quæ in deſuetudinem abierunt. Ad hæc, a Græcis omnes quinque ſenſus minime inunguntur; quos tamen valide inungere, dubi-

bitari non poteſt. Tandem nonnulla Ritualia, ac præſertim Mechlinienſe anno 1589. præcipiunt, ut graſſante peſte, ad evitandum periculum, aut in alio neceſſitatis caſu, inungatur ſenſus organum magis ad unctionem expoſitum & detectum, atque hæc formula proferatur: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum deliquiſti*: aut hæc alia: *Per iſtam &c. indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per ſenſus*.

Ex his itaque non obſcure deducitur, diſtinctas quinque ſenſuum unctiones non ad ſacramenti ſubſtantiam pertinere, ſed ſolam præcepti neceſſitatem includere; ſicuti de renum, pedumque unctionibus Theologi omnes unanimi conſenſione fatentur. Monendi ſunt tamen Occidentalis Eccleſiæ Sacerdotes, ne extra neceſſitatis caſum quinque ſenſus ſigillatim ungere prætermittant; quia licet probabile ſit, & fortaſſe probabilius, quod diſtincta illorum unctio ad eſſentiam ſacramenti non ſpectet; eam tamen Eugenius IV. & Ritualia expreſſe præcipiunt; ac rurſus, quia damnata ab Innocentio XI. fuit hæc propoſitio n. 1. *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore*.

Inſuper adnotamus, quod etſi plures adhibeantur unctiones, unum tamen ex eis conſtituitur Sacramentum. Omnes enim unctiones ſunt quædam partiales materiæ unam integram unctionem ac materiam componentes, ſicut etiam ex formis cuilibet unctioni applicatis una totalis forma conſurgit; ac præterea ſingulæ un-

unctiones ad eandem animæ ſanationem referuntur, unamque ſpiritualem medicinam efficiunt. Quare Catechiſmus Rom. in p. 2. c. 6. n. 4. ait: *Non plura, ſed unum eſt Sacramentum, quamvis per plures unctiones adminiſtretur, quarum ſingulis propriæ preces, ac peculiaris forma adhibenda eſt. Unum vero eſt non partium continuatione quæ dividi non poſſint, ſed perfectione: cujuſmodi ſunt cetera omnia, quæ ex pluribus rebus conſtant. Nam quemadmodum domus quæ ex multis & diverſis partibus compoſita eſt, una tantum forma perficitur, ita hoc Sacramentum etſi ex pluribus rebus & verbis conſtituitur, unum tamen ſignum eſt, & unius rei quam ſignificat, efficientiam habet.* Lege S. Bonaventuram in 4. d. 23. a. 2. q. 3. ad 3. argumentum, & S. Thomam in ſuppl. q. 29. a. 2.

CAPUT III.

De ejuſdem Sacramenti forma.

Breviter hic de Unctionis Extremæ forma tractabimus, aliquot declarando dubia, quorum primum hoc eſto: Oportetne, ut Sacramentum iſtud per aliquam verborum formulam conferatur?

Reſp. affirmative. Id enim aperte colligitur ex Jacobi verbis, *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum:* quo in loco unctio materiæ, oratio vero formæ neceſſitatem exponit. Unde Synodus

dus Tridentina in ſeſſ. 14. hoc textu producto ſubjungit: *Quibus verbis, ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet*, Jacobus, *materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris ſacramenti.* Græcorum quoque Euchologia, ac Pontificales Latinorum libri quamplurimi dum perantiquum ægrotos ungendi ritum referunt, ſemper illum cum certa precum verborumque pronunciatione deſcribunt. Oppoſita tandem quorundam Veterum opinio, uti ait S. Thomas in q. 19. ſuppl. a. 7. „ videtur derogare effectui hujus ſacra„ menti, quia omne ſacramentum efficit ſi„ gnando: ſignatio autem materiæ non deter„ minatur ad effectum determinatum, cum ad „ multa ſe poſſit habere, niſi per formam ver„ borum. Et ideo in omnibus ſacramentis no„ væ legis, quæ efficiunt quod figurant, opor„ tet eſſe res & verba. Et præterea Jacobus „ totam vim hujus ſacramenti videtur conſti„ tuere in oratione, quæ eſt forma hujus ſa„ cramenti. Et ideo prædicta opinio præſump„ tuoſa videtur, & erronea. “ Idem quoque docet S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 1. q. 4.

II. dubium: Quænam eſt hujus Sacramenti forma?

Reſp. apud Latinos eſſe precationem illam, quam Sacerdos ad ſingulas adhibet unctiones, cum ait: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, ſive per auditum, &c. deliquiſti.* Hanc enim formam recenſet Eugenius IV. in Decreto pro inſtructione Armenorum, ipſius quoque meminit Synodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 1. eandem denique præſcribit Rituale

Romanum.

Apud Græcos etiam Extremæ Unctionis forma eſt oratio, quam Sacerdos fundit, dum infirmum inungit, quæque incipit; *Pater ſancte, medice animarum, & corporum*. In ea enim duplex præcipuus ſacramenti hujus deſignatur ac poſtulatur effectus, gratia nempe ſanctificans, corporiſque ſanitas, dum dicitur: *Sana hunc ſervum tuum a corporali ſpiritualique infirmitate qua detinetur, & vivifica eum per gratiam Chriſti tui*. Vide Arcudium lib. 5. Concordiæ c. 5. & Goarium in Officio ſancti olei, pag. *mihi* 338.

III. An ſingula formæ verba neceſſaria ſint, ut valeat Sacramentum?

Reſp. negative. Nam 1. expreſſio quinque ſenſuum, & renum, ac pedum ad ſacramenti ſubſtantiam minime requiritur; cum nec ipſa ſingulorum ſenſuum, renum, pedumque unctio requiratur, ut in præcedente capite dictum eſt. 2. Non oportet, ut exprimatur materia, quam hæc verba deſignant, *Per iſtam unctionem*: ſufficiens enim eſt Græcorum formula, licet unctionem illa non exprimat, 3. Neque requiruntur hæ voces, *Per ſuam piiſſimam miſericordiam*; quia Dei miſericordia per ea verba ſatis exprimitur, *Indulgeat tibi Dominus*. Cenſent poſtremo nonnulli ad ſacramenti ſubſtantiam pertinere, ut enuncietur peccatorum remiſſio; at probabilius id alii negant, cum opus non ſit, ut ſacramenti effectus in ejuſdem formula explicite nominetur: quapropter affirmandum videtur ad ſacramenti valorem ea tantum verba ſufficere, *Indulgeat tibi Dominus*. Ita ſimiliter in Græca forma videtur eſſentialia eſſe

ea

ea tantum verba: *Sana hunc ſervum tuum.*

IV. Cur Sacramentum iſtud præ ceteris omnibus formam habet deprecativis verbis expreſſam?

Reſp. factum id 1. eſſe, quia ægroti Unctionem extremam ſuſcipientes viribus deſtituti ſunt, ac interdum morbi acerbitate correpti exercere nequeunt actus illos Chriſtianarum virtutum, qui fieri & repeti ſolent ad uberiorem ſacramentorum fructum percipiendum: hinc indigent tum Sacerdotis, tum aliorum precibus adjuvari.

2. quia ægrotantium plurimi de hac mortali vita ad ſempiternam tranſituri ſunt; ideoque Deo, ad cujus tribunal ſiſti debent, orationibus commendantur. Ob quas rationes non ſolum forma precatoria eſt, ſed & aliæ multæ preces ex veteri more Eccleſiæ adhibentur, quibus adſtantes Fideles excitentur & admoneantur, ut infirmum fratrem velut ſtatim migraturum obſecrationibus adjuvent, Deoque commendent.

3. quia, uti in Catechiſmo Rom. legitur p. 2. c. 6. n. 7. „ cum hoc ſacramentum propterea „ adhibeatur, ut præter ſpiritualem gratiam, „ quam tribuit, ſanitatem etiam reſtituat ægro„ tis; tamen quia non ſemper ſequitur, ut „ ægri a morbis convaleſcant, ob eam cauſam „ precatione forma concipitur, ut a Dei beni„ gnitate id impetremus, quod ſacramenti vis „ conſtanti & perpetuo ordine efficere non ſo„ let." Vide S. Thomam in q. 19. ſuppl. a. 8. & S. Bonaventuram in 3. d. 23. a. 1. q. 4.

V. An valida eſſet hujus Sacramenti forma enunciativo, ſive indicativo, & abſoluto modo prolata?

Reſp. probabilius nobis videri, quod valida

foret, etſi quidam e Schola Theologi inſufficientem illam irritamque putaverint. In pluribus enim Eccleſiis abſoluta & indicativa forma olim obtinuit; ſicut in Ambroſiana, referente S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 1. q. 4. hæc forma uſu recepta fuit: *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates.* Venetum quoque Sacramentale, quod approbatum dicitur a Leone X. hanc habet formam: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus aereas catervas.* Indicativam denique formam exhibent Ritualia pleraque vetuſtiora, quorum meminerunt Arcudius, Launojus, Martene, Menardus, & alii. Nemo autem jure poterit affirmare, toleratam in praxi fuiſſe ſacramenti formam, quæ inſufficiens ineptaque eſſet, & qua conſequenter poſita, tot Fideles verum Unctionis extremæ ſacramentum minime habuiſſent.

Id inſuper perſpicua hac ratione monſtratur: Forma eſt ſignum practicum deſignans effectum, quem efficit ſacramentum: atqui per formam indicativam non ſecus ac per deprecatoriam, deſignatur Extremæ Unctionis effectus: ſicut igitur abſolutis his verbis, & indicativo modo prolatis, *Baptizo te*, ſacramentum Baptiſmi perficitur; ita aliis hiſce ſimilibus, *Ungo te*, perfici poterit Unctionis Extremæ ſacramentum.

Et ſane, quotieſcunque unus idemque ſenſus in ſacramentorum forma perſiſtit, non niſi accidentale diſcrimen habetur, etiamſi ejuſdem formæ verba mutentur; cum itaque forma ab-

ſo-

ſoluta, & forma deprecans unum eundemque ſenſum includant, dicendum eſt illas non niſi accidentaliter diſcrepare: proindeque valeret Sacramentum Unctionis extremæ, licet indicativo modo ejus formula proferretur.

Nonnulli poſtremo Theologi ſentiunt, in forma indicativo modo prolata intelligendam eſſe deprecationem; atque ita componi ajunt diſcrimen, quod inter formam indicativi modi, & modi optativi verſatur. Ita aſſerunt, *ex. gra.* in Ambroſiana forma ſuperius citata, quamvis illud, *Ungo*, indicativi ſit modi; dum tamen dicitur, *Ut more militis, &c.* deprecationem haberi putant, quaſi idem ſit, ac ſi diceretur, *Ut Dei ope ſuffultus aereas poſſis ſuperare poteſtates*: & ideo hæc verba verbis illis æquivalere videntur, quæ in forma Romana dicuntur, *Indulgeat tibi Dominus*.

Quidquid autem hac de quæſtione ſentire volueris, pro certo habeas 1. congruentiorem eſſe formam deprecativo modo prolatam, quam indicativo; uti ex dictis in præcedente dubio evidenter infertur: 2. non licere uti forma indicativa; ageretur enim contra ritum, quem præſcripſit Eccleſia. Vide quæ diximus in lib. 24. c. 19. Quomodo tandem in eorum ſententia qui pro indicativæ formæ validitate decertant, ejuſmodi etiam forma dici poſſit *oratio fidei*, uti eam S. Jacobus appellat, conſtat ex dictis in cap. 1. ad 3. argumentum.

CAPUT IV.

De Unctionis Extremæ Miniſtro.

CHriſtum Dominum ſicut aliorum ſacramentorum, ita & Extremæ Unctionis Auctorem eſſe dicendum, & quidem immediatum, ſatis aperte colligitur ex dictis in lib. 24. c. 8. ubi etiam affirmavimus inſtitutum videri ſacramentum iſtud a Chriſto, poſtquam reſurrexit a mortuis: cumque inſuper Pœnitentia ab Extrema Unctione perfectionem ac conſummationem accipiat, recte nonnulli hoc ſacramentum poſt illud inſtitutum fuiſſe ſcripſerunt.

Nunc itaque ſupereſt, ut paulo prolixius de Unctionis Extremæ Miniſtro loquamur, ac primo contra Calvinum, alioſque hæreticos oſtendamus, Presbyteros a quibus ungendos infirmos Jacobus affirmat, non eſſe ætate ſeniores aut primores in populo, ſed aut Epiſcopos, aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinatos per impoſitionem manuum Presbyterii, uti docet Synodus Tridentina ſeſſ. 14. c. 3.

Propoſitio. Miniſtri Unctionis Extremæ non ſunt ſeniores ætate, ſed ſoli Epiſcopi, & Sacerdotes.

Probatur ex ipſis Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, &c.* Dum enim de Eccleſiæ miniſteriis agitur, Preſbyterorum nomine aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis ordinati, non autem ſeniores ætate,

te, aut primores in populo intelligendi veniunt, ut apparet ex Act. c. 14. v. 22. ex 1. ad Tim. c. 5. v. 1. ex 1. Petri c. 5. v. 1. &c. Cum itaque Jacobus doceat advocandos eſſe Presbyteros ad orandum ſuper infirmum, eumque in nomine Domini inungendum, ut per ejuſmodi miniſterium animi levamentum, & peccatorum remiſſionem obtineat; ſane non alios ille Presbyteros intellexit, quam Epiſcopatu vel Sacerdotio initiatos; cum ea omnia in iſtos apte quadrent, non vero in illos qui tantum ob ætatem Presbyteri nuncupantur.

Idem quoque demonſtratur ex traditione SS. Patrum, qui laudatum Jacobi locum de Epiſcopis, & Sacerdotibus, non de ætate ſenioribus intellexerunt. Vide quæ diximus in hujus libri cap. 1. Quovis præterea ſeculo Eccleſia nunquam per laicos, licet ætate provectos, ac ſanctitate præclaros, ſed per Sacerdotes Unctionis extremæ Sacramentum perpetuo diſpenſavit, ut Rituales omnes Latinorum, Græcorumque libri luce clarius manifeſtant.

Confirmatur inſuper Catholica hæc veritas ratione. Cum enim interdum etiam ætate juvenes præficiantur Eccleſiæ, ut Timotheus ab Apoſtolo conſtitutus fuit Epiſcopus; abſurdum profecto eſt ad ſeniores ætate hoc Unctionis miniſterium remittere, eodemque privare juniores Epiſcopos & Sacerdotes.

Deinde, ut ait S. Thomas in ſuppl. q. 31. a. 1. „ ſecundum Dionyſium in Eccleſiaſtica Hie„ rarchia, ſunt quidam exercentes actiones hie„ rarchicas, & quidam recipientes tantum, qui „ ſunt laici: & ideo nullius ſacramenti diſpen„ ſatio laicis ex officio competit; ſed quod

 „ ba-

„ baptizare poſſint in caſu neceſſitatis, ex di-
„ vina diſpenſatione factum eſt, ut nulli rege-
„ nerationis ſpiritualis facultas deſit.

Poſtremo, uti bene notat S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 2. q. 1. „ cum hujus ſacramenti ma-
„ teria ſit oleum conſecratum, non debet ad-
„ miniſtrari, nec contingi, niſi ab eo, qui ha-
„ bet manus conſecratas, & talis eſt Sacerdos:
„ ideo non ſe extendit ad omnes. Nec ad ſo-
„ los Epiſcopos, quia cum hoc ſit ſacramen-
„ tum periclitantium, qui non poſſunt adire
„ Prælatos, ſed magis e converſo, oporteret
„ multos perire, ſi a ſolis Epiſcopis dari de-
„ beret; ideo diſpoſuit Spiritus Sanctus, quod
„ unguentum non ſolum eſſet in capite, vel
„ in barba Aaron; ſed etiam deſcenderet uſque
„ in oram veſtimenti, ſcilicet uſque ad infe-
„ riores Sacerdotes. Nec ſolum ſumitur ratio
„ a parte unctionis, verum etiam a parte ora-
„ tionis: quoniam enim officium mediationis
„ Sacerdotibus competit, ſicut competit offerre
„ dona & ſacrificia pro peccatis; nec ſolis Epi-
„ ſcopis, nec etiam laicis: ſic etiam diſpenſa-
„ tio hujus ſacramenti, cujus efficacia principa-
„ liter conſiſtit in oratione fidei, cujus eſt Sa-
„ cerdos miniſter de ratione ſui officii. “ Reliqua plura legire apud eundem S. Doctorem.

Objicies. Innocentius I. in epiſt. ad Decentium declarare videtur, poſſe Sacramentum iſtud ab omnibus, etiam laicis, miniſtrari; ſcribit enim: *Quo, oleo, ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo.*

Præterea, Ven. Beda in c. 5. epiſt. S. Jacobi, hortatur infirmos, *ut ſeniorum adjutorio curari*

ſe

ſe meminerint, neque ad juniores minuſque doctos cauſam ſuæ imbecillitatis deferant. Presbyterorum ergo nomine ætate ſeniores intelligit. Unde Thomas Waldenſis in lib. 2. de Sacram. c. 163. hæc Bedæ verba ſic accipit, ut ubi Sacerdos deeſt, quilibet Chriſtianus poſſit eſſe Unctionis Extremæ, non ſecus ac Baptiſmi, miniſter.

Quidam denique Sancti Ægyptiacæ ſolitudinis incolæ oleum ad infirmos mittebant, ut ſanarentur: legitur inſuper de S. Genovefa, oleo infirmos unxiſſe, ac prodigioſe curaſſe; quod de aliis etiam ſanctis laicis, feminiſque narratur.

Reſp. ad 1. Innocentium ibi loqui de Unctionis ſubjecto, non de miniſtro; illudque participium *inungendo* paſſive accipi, non active. Neque enim Pontifex ait, *inungendo eos*, ſed abſolute nulloque addito caſu dicit, *inungendo*; nimirum ad ſignificandam paſſivam inunctionem. Ita etiam Poeta canit: *Uritque videndo femina*; ſcilicet dum videtur: & , *Cantando rumpitur anguis*; dum videlicet incantatur. Senſus itaque eſt, licere non ſolum Sacerdotibus, ſed & omnibus Chriſtianis uti ſancto oleo in ſuis, ſuorumque neceſſitatibus, advocando Sacerdotes, a quibus ſacramentalem accipiant Unctionem.

Alii inſuper reponunt, Innocentium cuilibet Chriſtiano permittere, ut occurrente neceſſitate tum ſe, tum alios ungat pia devotione affectus erga rem Epiſcopali benedictione ſacratam, per quam ſperet obtinere medelam: ita tamen, ut nullum conficiat ſacramentum; ſed ſic utatur quomodo ſolent Fideles uti aqua benedicta, rebuſque aliis conſecratis. Et hoc mo-

do

do Ægyptii Monachi, S. Genovefa, aliique benedictum oleum admovebant ægrotis. Ut enim Angelicus Doctor ait in ſuppl. q. 31. a. 1. ad 2. *illæ unctiones non erant ſacramentales, ſed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentium vel oleum mittentium, conſequebatur effectus ſanitatis corporalis per gratiam ſanitatum, non autem per gratiam ſacramentalem.*

Ad 2. Beda non literali tantum ſenſu de corporum ægritudine interpretatur verba illa, *Infirmatur quis in vobis &c.* verum inſuper juxta moralem intelligentiam de animi languoribus textum exponit; & ideo recte monet, ut qui *fide* infirmatur, *non ad juniores minuſque doctos cauſam ſuæ imbecillitatis deferat, ne forte quid per eos allocutionis aut conſilii nocentis accipiat.* At ſubſequentibus verbis juxta literam Jacobi verba commentans, Presbyteros ſecundum Eccleſiaſticam dignitatem intelligit, inquiens: *Hoc & Apoſtolos feciſſe in Evangelio legimus, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur a Presbyteris, & oratione comitante ſanentur.*

Ex quo patet deceptum fuiſſe Waldenſem: niſi forte dicendum ſit, ipſum exiſtimaſſe quidem, quod urgente mortis articulo, & abſente Presbytero, unctio facienda ſit a laicis, at non affirmaſſe quod ejuſmodi unctio ſit ſacramentalis; nempe quemadmodum nonnulli putarunt, laicis faciendam eſſe confeſſionem, ſi defuerint Sacerdotes. Et licet Baptiſmi comparationem adducat; hæc tamen ita eſt intelligenda, ut ſimilitudo non in ſacramenti ratione, ſed in ritus commendatione conſiſtat. Ad 3. denique jam

jam ſupra reſpondimus, legendumque monemus S. Bonaventuram citato in loco ad ultimum argumentum.

Ex dictis infertur, Diaconos non eſſe hujus ſacramenti miniſtros; cum non ſint *Presbyteri Eccleſiæ*, quibus tantum Unctionis Extremæ adminiſtratio demandata eſt ita, ut neque in caſu neceſſitatis poſſit ex diſpenſatione Diaconus eam conferre, ſicut eo in caſu Baptiſmum confert. Nam uti bene ait S. Thomas in ſuppl. q. 31. a. 3. ad 2. *hoc ſacramentum non eſt neceſſitatis ſacramentum, ſicut baptiſmus. Unde non ita committitur diſpenſatio ejus omnibus in articulo neceſſitatis, ſed ſolum illis, quibus ex officio competit*, nempe Presbyteris. Lege etiam S. Bonaventuram in loco ſuperius citato ad 5. argum.

Infertur inſuper, quod Epiſcopi, cum & ipſi Presbyteri ſint, ac inter Presbyteros alios gradu & auctoritate præſtantiores, poſſint ſacramentum iſtud ex officio diſpenſare. Ita enim Innocentius I. ad Decentium qui de hoc dubitabat, n. 8. reſcribit: *Illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Ceterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem a ſe viſitandum & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt; cujus eſt ipſum chriſma conficere.*

Etſi vero quilibet Sacerdos valide poſſit Extremam Unctionem conferre; ad id enim ſola ſufficit Ordinis poteſtas; licite tamen ſolus ille miniſtrat, qui in infirmum juriſdictionem

ha-

habet, vel ordinariam, ut Epiſcopus, Parochus, Superior regularis in ſuos ſubditos; vel delegatam, is videlicet, cui iſti commiſerint. Hinc in Clementina de privilegiis lib. 5. tit. 7. cap. 1. Religioſi, qui Extremam Unctionem miniſtrare ſine Parochi licentia præſumunt, ſententiam excommunicationis Pontifici reſervatam incurrunt. Urgente autem mortis periculo, & abſente Parocho, poteſt quilibet Sacerdos, etiam Regularis, hoc ſacramentum licite miniſtrare, juxta probabilorem, communioremque ſententiam, cui adhæſit etiam S. Carolus in Concilio Mediolanenſi V. ita decernens: *Si porro is, Parochus, impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat; hoc*, Unctionis Extremæ ſacramentum, *Sacerdos alius adminiſtret*.

Cum autem S. Jacobus ſcribat, *Inducat Preſbyteros*, plurali numero utens, inquirere hic Theologi ſolent, an ad valide ac licite conferendum ſacramentum iſtud plures Presbyteri requirantur? Qua de re Græci ſentiunt Unctionem extremam irritam eſſe, ſi ab uno tantum Presbytero miniſtretur; & ideo ſeptem, aut tres ſaltem Presbyteros advocant, dum inungunt. Sed unum ad id ſatis eſſe Presbyterum, conſtat 1. ex Romanorum Pontificum definitione; nam Alexander III. cap. *Quaſivit*, *De verborum ſignificatione*, ait: *Sacerdos uno præſente Clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere*. Et Benedictus XIV. in Conſtitut. *Etſi Paſtoralis*, ſuper ritibus Græcorum, §. 5. n. 3. ſcribit: *Nec refert, utrum eadem extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat; ubi hujuſmodi viget conſuetudo, dummodo credant, & aſſerant, illud ſacramentum ſervata debita*

ma-

materia & forma ab uno Presbytero valide, & licite confici.

Præterea nemo unus ex Veteribus affirmavit, hoc ſacramentum irritum eſſe, niſi a pluribus Presbyteris conferatur: & quamvis negari non poſſit, in Latina etiam Eccleſia plures aliquando advocatos fuiſſe Presbyteros; non tamen factum id eſt propter ſacramenti neceſſitatem, ſed propter congruentiam; ut nimirum infirmus, dum plures Sacerdotes interſunt, & eorum orationibus adjuvatur, gratiam copioſiorem accipiat. Lege S. Thomam in 4. contra Gentes c. 73. Hinc alia non deſunt exempla Unctionis Extremæ ab uno dumtaxat Epiſcopo, vel Presbytero adminiſtratæ; nam Prudentius Tricaſſinus Beatam Mauram ſolus inunxit; idemque patet ex vita S. Eugendi, atque ex monumentis aliis, quæ paſſim a Theologis referuntur, ac præſertim a P. Martene in lib. 1. de Antiq. Rit. c. 7. a. 3. n. 5.

Poſtremo noſtris hiſce temporibus unum Preſbyterum, etiam extra neceſſitatis caſum, poſſe tum valide, tum licite diſpenſare Unctionem Extremam, ſatis aperte monſtratur ex univerſali Latinæ Eccleſiæ praxi, & ex Rituali juſſu Pauli V. edito & approbato.

Neque Catholicæ huic doctrinæ obſtant Jacobi verba pluraliter enunciata, *Inducat Preſbyteros*: eſt enim numeri enallage, qua pluralis numerus pro ſingulari ponitur. Ita Matth. 27. v. 44. legitur, *Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*; cum tamen conſtet ex Lucæ 23. v. 39. *unum* dumtaxat *de his, qui pendebant, latronibus* Dominum blaſphemaſſe; uti adnotat Auguſtinus in lib. 3. de conſenſu Evan-

Evangeliſtatum c. 16. ubi alia hac de re exempla profert, inquiens : *Sicut & in epiſtola ad Hebr. c. 11. legimus pluraliter dictum*, Clauſerunt ora leonum ; *cum ſolus Daniel ſignificari intelligatur : & pluraliter dictum*, Secti ſunt ; *cum de ſolo Eſaia tradatur . In Pſalmo etiam ſecundo quod dictum eſt*, Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, &c. *pluralem numerum pro ſingulari poſitum, in Actibus Apoſtolorum c. 4. exponitur . Nam Reges propter Herodem, principes propter Pilatum intellexerunt, qui teſtimonium ejuſdem Pſalmi adhibuerunt*. Lege quæ hoc in capite ſubjicit Auguſtinus, quæque nos ſupra diximus cap. 1. verſus finem.

Notamus hic ultimo, quod ſi plures ad Unctionem Extremam adminiſtrandam adfuerint Sacerdotes, ille idem ſacramentalem formam proferre debet, qui infirmum inungit ; uti declaravit Benedictus XIV. in Conſtit. *Etſi Paſtoralis*, ſuper ritibus Græcorum, §. 5. n. 4. his verbis : *Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare reſpective debet ; ac propterea qui unget idem dicat formam reſpondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet*.

CAPUT V.

De ejuſdem Sacramenti ſubjecto.

POſtquam de Unctionis Extremæ Miniſtro tractavimus, videndum modo eſt, quibuſnam

nam Sacramentum iſtud ſit conferendum. Græci enim ſacro oleo ungunt non ſolum ægrotos, verum & pœnitentes, etſi bene valeant, alioſque aut nulla aut leviſſima infirmitate detentos. At quod Extrema Unctio ſolis miniſtranda ſit ægris, plura ac validiſſima momenta demonſtrant, quorum illud eſt

I. Jacobus de Sacramenti hujus ſubjecto ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat &c. & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Quod autem de corporis infirmitate loquatur, inde conſtat, quia id afferit v. 14. poſteaquam v. 13. de animi ægritudine, hujuſque remedio dixerat: *Triſtatur aliquis veſtrum? oret: Æquo animo eſt? pſallat.*

II. momentum ex Eccleſiæ decretis eruitur, Florentinum namque Concilium in Inſtructione Armenorum ait: *Hoc ſacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* Tridentinum quoque ſeſſ. 14. c. 3. inquit: *Declaratur etiam, eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Idem præterea docent aliæ permultæ Synodi, Romanique Pontifices, quos inter ſunt Innocentius I. in epiſt. ad Decentium, & Gregorius M. in Sacramentario.

III. Si Eccleſiaſtica pervolutetur hiſtoria, invenietur utique paſſim apud Latinos adminiſtratum Sacramentum iſtud fuiſſe graviter decumbentibus, inveniri vero non poterit collatum bene valentibus aliquando fuiſſe. Ea quoque recentior Græcorum conſuetudo ungendi ſanos ex ipſo illorum Euchologio aperte refelli-

li-

litur : ibi enim talis ſacri olei benedictio, Unctioniſque forma præſcribitur, ut pateat utramque pro corporali morbo laborantibus fuiſſe compoſitam. Vide quæ de Græcorum formula diximus, § 3. & lege Arcudium in lib. 5. Concordiæ c. 4.

IV. tandem accedit ratio, quam adducit Doctor Angel. in ſupplem. q. 32. a. 1. dicens, „ quod hoc ſacramentum eſt quædam ſpiri„ tualis curatio, quæ quidem per quendam „ corporalis curationis modum ſignificatur: & „ ideo illis quibus corporalis curatio non com„ petit, ſcilicet ſanis, non debet hoc ſacra„ mentum conferri.

Eadem inſuper in quæſt. a. 2. S. Doctor adjungit, „ quod hoc ſacramentum eſt ultimum „ remedium, quod Eccleſia poteſt conferre, „ quaſi immediate diſponens ad gloriam: & „ ideo illis tantum infirmantibus debet exhibe„ ri; qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc „ quod ægritudo nata eſt inducere mortem, & „ de periculo timetur. “ Eadem quoque ſcribit S. Bonaventura in 4. d. 23. a. 2. q. 2.

Ex his itaque patet etiam, Extremam Unctionem miniſtrandam non eſſe omnibus infirmis, ſed periculoſe ægrotantibus; præſertim vero iis, qui jam in vitæ exitu conſtituti videntur; quod ex ipſis Jacobi verbis intelligi ſatis poteſt. Inquit enim, *Oratio fidei ſalvabit infirmum*, ſive, prout in Græco textu legitur, κάμνοντα: eſt autem κάμνω idem, ac *fatigor*, *laſſeſco*, *deficio*, *ac morbo jam pene ſuccumbo*.

Patet præterea ſacramentnm iſtud adminiſtrandum non eſſe iis, qui cum ſano ſint corpore, vel probabile vel certum vitæ periculum adeunt,

adeunt, ut qui mare tranſmiſſuri ſunt, aut prælium commiſſuri, aut qui capite damnati, ad ſupplicium rapiuntur. Quamvis enim iſtiuſmodi omnes præparatione ad mortem indigeant; non tamen pro illis, ſed pro ſolis ægrotantibus inſtitutum eſſe hoc ſacramentum ex Jacobo Apoſtolo manifeſte colligitur.

Parvulis inſuper rationis uſu carentibus, etiamſi in vitæ diſcrimen veniant, Extrema Unctio conferenda non eſt; nam, uti citato in loco ſcribit S. Bonaventura, illam conferri poſſe *ſolis ratione utentibus oſtenditur per textum, cum dicitur*, Inducat Presbyteros, *& poſt*, Si in peccatis fuerit, &c. *Si ergo Presbyteros petere, ſeu inducere, & in peccatis eſſe, eſt proprium adultorum, & ratione utentium, videtur, &c.* Hinc neque ſacramenti hujus forma quæ ſolam exprimit delictorum remiſſionem, accommodari poteſt parvulis, qui per viſum, auditum, &c. minime deliquerunt.

Ob eandem pariter cauſam ungendi non ſunt, qui mente & ratione ab ipſa nativitate privantur. *Infirmis autem*, inquit Rituale Romanum, *qui dum ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, ſacramentum illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna contritionis; etiam ſi deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent, aut non ſentiant, nihilominus præbeatur. Sed ſi infirmus, dum phreneſi, aut amentia laborat, veriſimiliter poſſet quidquam facere contra reverentiam ſacramenti, non inungatur, niſi periculum tollatur omnino.*

Ii tandem, qui præ ſenio deficiunt, & in diem morituri videntur, etiam ſine alia infirmitate poſſunt ac debent inungi; ut in eodem Rituali præcipitur, legiturque etiam in Me-

d.olanenſi Concilio IV. tit. 6. de Extrema Unctione. Nam virium imbecillitas, quam confecti ſenio patiuntur, eſt gravis infirmitas; ideoque ac enſendi ſunt iis, de quibus Jacobus ait: *Infirmatur quis in vobis?*

Adnotandum hic ducimus, quod ſicut oportet periculoſam eſſe infirmitatem, in qua adhibenda eſt ſacra hæc Unctio, ita modis omnibus damnanda eſt prava quorundam conſuetudo, qui Presbyterum tum tandem accerſunt, cum jam animam agit ægrotus. Ut enim recte legitur in Catechiſmo Romano p. 2. c. 6. n. 9. *Graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat: conſtat enim ad uberiorem gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ſenſus viget, fidemque & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur.* Idem quoque plura ſtatuere Concilia, quæ a Tournely, Gotti, Berti, aliiſque Theologis recenſentur, & quibus evidenter oſtenditur, quam ſceleſta impudenſque ſit Calvini calumnia ita ſcribentis in lib. 4. Inſtit. c. 19. §. 21. *Jacobus omnes infirmos vult inungi: iſti non infirmos, ſed ſemimortua cadavera ſua pinguedine inficiunt, cum jam anima in primoribus labris laborat, vel, ut ipſi loquuntur, in extremis.*

CA-

CAPUT VI.

De effectibus Unctionis Extremæ: Ubi etiam quæritur, num ad ſingulas unctiones, formaſque gratia conferatur?

NOn obſcure S. Jacobus Apoſtolus Unctionis Extremæ deſignavit effectus, dum ſcripſit: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Ex quo teſtimonio Tridentini Concilii Patres, Scriptoreſque Catholici inferunt, quod per Sacramenti hujus gratiam quadruplex præſtetur effectus; primus ſcilicet peccatorum remiſſio, alter reliquiarum peccati abſterſio, tertius animi alleviatio, & erectio, quartus denique corporeæ ſanitatis reſtitutio.

Extrema itaque Unctio peccata remittit, quod ea Jacobi verba ſignificant, *Si in peccatis ſit, remittentur ei*; idemque per ipſam ſacramenti formam exprimitur: *Per iſtam ſanctam Unctionem, &c. indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, &c. deliquiſti*. Tridentinum quoque Concilium ſeſſ. 14. can. 2. ita decrevit: *Si quis dixerit, ſacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; . . . anathema ſit*. Id ipſum denique affirmant Patres a nobis in 1. cap. laudati: neque officit conditionalis particula, *ſi*, quam Jacobus appoſuit, ut eodem in cap. ad 3. argumentum oſtendimus.

Peccata vero quæ Extrema Unctio *per ſe* delet, non ſunt mortalia, ſed venialia. Nam ad delendum originale peccatum inſtitutus eſt Baptiſmus, & ad diluenda graviora peccata per propriam voluntatem admiſſa poſt Baptiſmum ordinatur Pœnitentiæ ſacramentum: Extremæ igitur Unctionis effectus eſt remiſſio venialium, ſine quibus hæc vita non ducitur, & quorum remiſſione tunc maxime indiget Chriſtianus, quando ex hac vita jam jam diſceſſurus ſiſti debet ante ſummi Judicis tribunal, ſecundum ea quæ in corpore geſſit, judicandus. Poteſt tamen idem Sacramentum *per accidens* mortalia etiam peccata remittere; cum ex dictis in lib. 24. c. 16. ſacramenta vivorum poſſint *per accidens* primam gratiam conferre.

Alter effectus eſt abſtergere & auferre peccatorum reliquias impedientes tranſitum ad futuram gloriam, ſive illæ ex originali peccato, ſive ex actualibus ſint relictæ. Reliquiæ autem peccatorum ſunt propenſio ad malum, languor torporque ad faciendum bonum, ac mentis infirmitas ad intuenda & meditanda cœleſtia. Sanatis enim ac repreſſis hiſce defectibus animus ægrotantis erigitur, liberiuſque ad ea quæ ſalutis ſuæ ſunt cogitanda, conſurgit. Hunc effectum imprimis ſignificat oleum quo infirmus inungitur, quodque vim habet abſtergendi & auferendi quod membrorum ſanitati contrarium eſt.

Tertius effectus eſt ægroti animam alleviare, & confirmare, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, ut morti incommoda levius ferat, utque facilius reſiſtat humani generis hoſti, qui (verba ſunt Catechiſmi Romani p. 2. c. 6. n. 15.) *etſi quoad vivimus*,

mus, nunquam deſinit de interitu & exitio noſtro cogitare; nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac, ſi fieri poſſit, ſpem nobis divinæ miſericordiæ eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam cum ſupremum vitæ diem appropinquare animadverterit. Hunc etiam effectum olei natura deſignat, quod lenit, confortat, exhilarat.

Hic adnota tres iſtos recenſitos effectus in Florentini Concilii Decreto generaliter exprimi per *ſanationem mentis*, ajendo: *Effectus eſt mentis ſanatio; in quantum autem expedit, etiam corporis.* Mens namque ſanatur tum peccatorum remiſſione, juxta illud: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*: tum languoris ex peccato contracti curatione, unde legitur: *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*: tum tandem interna recreatione & confortatione, cum idem Pſalm. ita dicat: *Qui ſanat contritos corde.*

Quartus hujus Sacramenti effectus eſt corporis ſanitas; non quidem abſolute, ſed quatenus ſaluti animæ expedit; uti Florentinum Tridentinumque Concilia declararunt. Atque hunc effectum recte Scholaſtici ſecundarium ſeu minus principalem appellant; non enim propter eum, ſed propter alios jam declaratos effectus ſacramentum iſtud potiſſimum inſtitutum eſt. Eundem vero effectum juxta communem interpretationem Jacobus Apoſtolus verbis illis ſignificavit: *Oratio fidei ſalvabit infirmum*: Cum enim de infirmitate corporis loqueretur, conſequens erat, ut quod ſubjungit, de ejuſdem generis ſanitate vellet intelligi; non excluſo tamen intellectu, quo ſimul etiam de animi ſalute ac ſanitate idem locus accipitur; quemadmodum & illud quod ſubſequitur, *Alleviabit*

eum Dominus, ad utriuſque generis levamen referendum eſſe videtur.

At quæri poteſt, cur non ſemper infirmus hujus Sacramenti virtute corporis ſanitatem obtineat, quemadmodum ſemper, niſi adſit obex, ſpirituales effectus, gratiam ſcilicet, animique levamentum aſſequitur? Hac vero de re bene ita ſcribit Doctor Angel. in ſuppl. q. 30. a. 3. *Extrema Unctio non facit corporalem ſanationem ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur: & quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalem: ideo ex hoc ſacramento non ſemper ſequitur corporalis ſanatio, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem; & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis.* Ex qua ſane doctrina conſequitur, nihil vetare, quin dicamus, Extremam Unctionem vi ſua, & ex opere operato conferre corporis ſanitatem; ea tamen conditione ſuppoſita, *ubi ſaluti animæ expedierit.*

Erigendus itaque infirmorum animus, eorumque fides magnopere excitanda eſt; quia, inquit Catechiſmus Rom. laudato in cap. n. 16. *utcumque, quod ad corporis valetudinem attinet, Dei conſilio, & voluntate ceciderit, certa ſpe niti Fideles debent, ſe hujus ſacri olei virtute ſpiritualem ſanitatem conſecuturos eſſe: futurumque, ut ſi eos vita decedere contingat, præclaræ illius vocis fructum percipiant, qua ſcriptum eſt,* Apoc. 14. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Quæ hucuſque de Extremæ Unctionis effectibus dicta ſunt, ex Tridentini Concilii doctrina tradidimus, quod in ſeſſ.14. c.2. hac de

re

re ita loquitur: *Res porro, & effectus hujus ſacramenti illis verbis explicatur*, Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. *Res etenim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

Hic adnota, exiſtimare Thomiſtas primarium magiſque proprium Extremæ Unctionis effectum eſſe, quod in mortis articulo hominem roboret contra debilitatem & ineptitudinem in nobis ex originali & actuali peccato relictam; ſeu contra reliquias peccatorum: cum vero robur iſtud gratia faciat, quæ ſecum non compatitur peccatum; ideo ex conſequenti, ſi invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum, dummodo obex ex parte hominis non ponatur. Contra vero Scotiſtæ, aliique arbitrantur Sacramentum iſtud primo per ſe venialia, per accidens vero etiam mortalia peccata delere; indeque poſtmodum animi alleviationem efficere, pravas auferendo reliquias, quæ ex eorumdem peccatorum contagione proveniunt.

Hæc ſecunda opinio nobis quoque probabilior eſſe videtur. Cum enim gravius anima peccatis, etſi venialibus, quam reliquiis peccatorum ægrotet; cumque perfectius ſit peccata, licet leviora, remittere, quam peccatorum reliquias auferre; ſi Sacramentum iſtud inſtitutum

credimus ad conferendam ſpiritualem animæ ſanitatem, dicendum eſt equidem, primarium ejus effectum eſſe, quod deleat venialia peccata, & mortalia quoque juxta modum ſuperius declaratum: ex quo fortaſſis evenit, ut Tridentina Synodus in loco ſupra citato inter Sacramenti hujus effectus peccatorum remiſſionem primo poſuerit. Clarius inſuper Catechiſmus Rom. n. 14. primum Extremæ Unctionis effectum exponens, ita ſcribit: *Docebunt Paſtores hoc ſacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis quidem leviora, &, ut communi nomine appellantur, venialia, remittit.* Hinc tandem licet in oleo, quod eſt ſacramenti materia, reliquiarum peccati abſterſio deſignetur; in forma tamen, quæ determinandi perficiendique vim habet, non niſi remiſſio peccatorum exprimitur, dum profertur: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti.* At de levioris momenti quæſtiuncula ſatis eſto; quam tamen legere poteris apud S. Bonaventuram in 4. d. 23. a. 1. q. 1. necnon apud P. Maſtrium in 4. diſp. 6. q. 4. a. 1. & 2. denique apud Fraſſen, Berti, alioſque Theologos.

Reliquum præterea eſt, ut de dubio illo breviter diſſeramus; an Sacramentum iſtud ad ſingulas unctiones, formaſque conferat gratiam, per quam recenſiti præſtantur effectus?

Multiplex hac de re Scholæ Doctorum opinio eſt: probabilius tamen, ac communius Scotiſtæ tuentur, quod etſi una unctio ad ſubſtantiam Sacramenti ſit ſatis, ut diximus in 2. cap. dum tamen per unctiones plures, pluresque formas idem Sacramentum conferri contigerit, ad earum ſingulas conferuntur ſinguli gratiæ gradus, qui adæquatum effectum ejuſdem

dem Sacramenti conſtituunt.

Præcipuum vero hujus ſententiæ fundamenmentum eſt, quod quælibet unctio cum ſua forma habet eſſentialiter completam ſignificationem illius effectus, ad quem ſignificandum aſſumitur, remiſſionis ſcilicet peccatorum, quæ per viſum, vel per auditum, &c. commiſſa ſunt: Quælibet igitur unctio cum forma ſibi correſpondente habet rationem Sacramenti gratiam conferentis: Sacramentum enim ex divina inſtitutione efficit quod ſignificat in ultimo inſtanti prolationis formæ, & applicationis materiæ, niſi obicem in ſubjecto reperiat: cum itaque quælibet unctio cum forma correſpondente habeat partiale ſignificatum, quod ab aliis diſtinguitur, habere etiam debet effectum proprium partialem, qui ab aliis diſtinguatur; partialem nempe gratiæ gradum, quo peccata vel per viſum, vel per auditum, &c. patrata tollantur.

Quod ſi quis objecerit: Gratia non datur per partes, neque peccata per fruſta deleantur; Deus enim perfecte ſanat quemcunque ſanat: non ergo dicendum eſt, per ſingulas unctiones gratiam ſigillatim diviſimque conferri.

Reponent Scotiſtæ, abſurdum non eſſe, quod gratia partialiter conferatur per Sacramentum, quod, ut Ven. Scotus ait in 4. d. 23. unum eſt *unitate integritatis*, non *unitate indiviſibilitatis*. Neque ulla contradictio eſt, ſi dicatur, venialia peccata per gratiam ſeorſim ac ſucceſſive dimitti: cum enim hujuſcemodi peccata ſtare ſimul cum gratia poſſint, non neceſſario inter ſeſe, quod ad remiſſionem pertinet, connectuntur. De mortalibus vero peccatis dici poteſt per gratiam primæ unctionis ea omnia tolli; & di-

& directe quidem illa, quæ per organum, quod inungitur, fuere commiſſa; indirecte autem, quæ per alia organa, aut in ipſa interius mente, conſummata fuerunt. Lege inter Scotiſtas alios Fraſſen, & Maſtrium.

CAPUT VII.

Num Extrema Unctio neceſſaria ſit, num iterari illa poſſit, qualeſque diſpoſitiones in ſuſcipiente requirat?

TRes hoc in capite quæſtiones paucis explicabimus, ut noſtra de Unctione Extrema diſſertatio compleatur. Prima quæſtio eſt, an hoc Sacramentum neceſſarium ſit, & cujuſmodi ſit illa neceſſitas?

Reſp. certum omnino eſſe, quod *medii neceſſitas* Unctioni Extremæ non competat, cum juxta ordinariam legem Sacramentum iſtud præſupponat ſanctificantem gratiam jam infuſam per ſacramentum Pœnitentiæ, cujus conſummatio ac perfectio eſt; proindeque etiam ſine Unctione Extrema poteſt homo Dei amicitiam conſequi, peccatorum ſuorum veniam obtinere, æternamque gloriam adipiſci. Dubium itaque ſolam reſpicit neceſſitatem, quæ ex præcepto deſcendit.

Hac de re 1. cum Theologis omnibus poſt Magiſtrum in 4. d. 23. dicendum eſt, Sacramentum iſtud non poſſe ſine gravi peccato contemni; uti patet ex Conſtitutione Martini V. edita anno 1418. quæ incipit, *Inter cunctas*, in

in qua n. 19. decernitur, ut ſuſpecti de hæreſi interrogentur, *Utrum credant quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem ſacramenti Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, aut ſolemnizationem Matrimonii, peccet mortaliter?* Tridentina quoque Synodus in ſeſſ. 14. cap. 3. ait: *Nec vero tanti ſacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus Sancti injuria eſſe poſſet.*

II. dicimus, infirmum, qui data opportunitate hoc Sacramentum recipere non curaret, immunem a peccato non eſſe; cum etſi non animo, ſaltem facto ipſo illud contemnere videretur, ac parvi facere ſalutarem effectum, quem ſua virtute Unctio Extrema producit. Vide quæ de Confirmationis ſacramento notavimus in lib. 26. c. 7. Hinc bene Magiſter in loco paulo ſuperius citato ſcribit: *Si ex contemptu, vel negligentia ſacramentum hoc prætermittitur, periculoſum eſt, & damnabile.* Quæ verba Seraph. Doctor exponens in dub. 4. ejuſdem diſt. ait: *Non intelligitur hoc de qualibet negligentia, ſed ſolum de negligentia, quæ generat contemptum, ſive quæ habet contemptum annexum. Unde ita judicandum eſt de hoc ſacramento, ſicut judicatur de ſacramento altaris.*

III. ſpeciatim aſſerimus, infirmos illos, qui crebris tentationibus jactari ſolent, ituros ultimam cum dæmone luctam debere omnino ſeſe Sacramenti hujus virtute munire, quod eo fine Clementiſſimus Redemptor noſter Jeſus Chriſtus inſtituit, ut infirmus, *dæmonis calcaneo inſidiantis artificium, & calliditatem facilius eludat*, uti poſt Synodum Tridentinam loquitur Catechiſmus Rom. de Extrema Unctione n. 15. Sicut itaque ubi fidei periculum imminet, Con-

fir-

firmatio graviter obligat ſub præcepto, tum Eccleſiaſtico, tum divino; ita & Unctio Extrema obligare dicenda eſt, ubi periculum inſtat, ne infirmus in ultimo cum hoſte conflictu ſuccumbat.

Cum itaque vix, aut ne vix quidem contingere poſſit, ut infirmus morti proximus valide a Dæmone non tentetur, & in periculum non veniat cedendi, amittendique ſalutem; idcirco putamus etiam, vix, aut ne vix quidem evenire, ut infirmus ab hoc Sacramento auxilium ſibi quærere modis omnibus non teneatur. Atque hoc in ſenſu admittenda eſt plurium Scholæ Doctorum opinio affirmantium Unctionem Extremam habere neceſſitatem præcepti, tum Eccleſiaſtici, tum divini. Lege Juenin, Tournely &c.

Circa alteram quæſtionem, an videlicet Extrema Unctio iterari poſſit, advertimus, Goffridum Vindocinenſem, Ivonem Carnotenſem, Theobaldum Senonenſem, alioſque nonnullos XII. ſeculo contendiſſe, quod non niſi ſemel ægrotos ſacro oleo liceret inungere. At oppoſitum pro certo tenendum eſt. Uti enim recte adnotat Petrus Cluniacenſis Abbas in lib. 5. epiſt. 7. *Non ait*, Jacobus Apoſtolus, *Inducat Presbyteros Eccleſiæ ſemel; ſed nulla mentione unius, binæ, vel ternæ unctionis facta, jubet nullo præfixo numero, induci ad ægrotum Presbyteros Eccleſiæ*.

Hujus præterea veritatis ratio inde deſumitur, quod uti ſcribit S. Bonaventura in 4 d. 23. a. 2. q. 4. *quoties iteratur morbus, iteranda eſt & medicina: ſed tam morbus corporalis, quam ſpiritualis iteratur; ſcilicet veniale, & corporalis infirmitas: ergo etiam Extrema Unctio*.

ctio . Idem leges apud S. Thomam in ſuppl. q. 33. a. 1.

Perſpicua denique eſt Synodi Tridentinæ ſententia in ſeſſ. 14. cap. 3. *Si infirmi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint , iterum hujus ſacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint* .

In eadem igitur infirmitate unctio iteranda non eſt, niſi diuturna ſit, & infirmus, poſtquam convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit, uti etiam in Rituali Romano præſcribitur. Id inſuper ita declarat S. Bonaventura citato in loco: „ Nullus in aliqua infirmitate „ inungendus eſt, niſi cum præſumitur ad exi„ tum appropinquare: & hoc eſt ex infirmi„ tatis aggravatione, quem ſtatum natura diu „ ſuſtinere non poteſt, immo aut vincit, aut „ vincitur. Si ergo infirmus non moriatur, „ ſed diutius vivat, etſi non perfecte curetur, „ curatur tamen aliquo modo ab intenſione „ morbi; quia ideo venialia iterum redire poſ„ ſunt, & iterum infirmitas corporalis aggra„ vatur, ideo poteſt & debet ſacramentum Un„ ctionis iterari. “ Similia ſcribit etiam S. Tho„ mas in laudata quæſt. a. 2.

Ad majorem inſuper claritatem hic addenda cenſemus, quæ in dictæ quæſtionis reſolutione Seraph. Doctor obſervat. „ Generalis ratio „ (*ait ille*) quare Sacramentum non debeat ite„ rari eſt, quia effectus ejus eſt perpetuus, qui „ non iteratur: unde characteris impreſſio non „ eſt generalis ratio, ſed potius effectus perpe„ tuatio: unde ex quo panis ſemel conſecratus „ eſt, non debet amplius conſecrari, quamvis „ non imprimatur ibi character: & ſimiliter „ oleum benedictum non debet amplius bene„ di-

„ dici, ſive conſecratum non debet amplius
„ conſecrari. Quoniam igitur in Unctione Ex-
„ trema non imprimitur character, nec datur
„ effectus perpetuus, maxime ſi homo ab in-
„ firmitate reſurgat; ideo ſecunda operatio ſa-
„ cramenti neceſſaria eſt; & ideo iterari poteſt
„ & debet medicina abſque aliqua contumelia
„ ipſius ſacramenti.

Jam itaque patet quid debeat illi adverſariorum argumento reponi: Epiſcopalis Unctio, ſive Confirmatio minime iteratur: ergo ob conſimilem rationem neque iteranda eſt Unctio Extrema. Uti enim ibidem ait S. Bonaventura, *non eſt ſimile, quia ibi eſt effectus characteris, qui eſt perpetuus, propter quem amplius ſacramentum iterari non debet.*

Quod poſtremo ſpectat ad diſpoſitiones in ſuſcipientibus requiſitas, breviter adnotamus, opus eſſe, ut infirmus de mortali peccato, cujus conſcientiam habet, confeſſionem emittat; vel ſi confiteri non poteſt, ſigna ſaltem veræ contritionis exhibeat, dum ſuſcipit Sacramentum iſtud, quod vivorum eſt, proindeque, per ſe loquendo, primam gratiam non tribuit, ſed ſecundam. Lege quæ diximus in lib. 24. c. 13. Id quoque ex eo ſpeciatim oſtenditur, quod, uti ſcribit Angel. Doctor in ſuppl. q. 30. a. 1. *Extrema Unctio eſt quædam ſpiritualis ſanatio vel medicatio: ſicut autem corporalis medicatio præſupponit corporalem vitam in medicato, ita ſpiritualis ſpiritualem.*

Oportet inſuper, ut infirmus fidem habeat, & ſpem conſequendæ ſalutis animæ, & corporis etiam, ſi hæc animæ ſaluti expediat; ut præterea intentionem ſuam preceſque conjungat intentioni ac precibus Eccleſiæ, ſperans ex-

in-

inde, ſe adverſus omnes diaboli inſidias divinum auxilium obtenturum; ut tandem ad Sacramentum tanta efficacitate præditum pius ac devotus accedat.

Has autem diſpoſitiones Catechiſmus Rom. n. 12. aureis hiſce verbis exponit: „ Quoniam „ vero omni ſtudio curare oportet, ne quid „ ſacramenti gratiam impediat; ei vero nihil „ magis adverſatur, quam alicujus peccati mor„ tiferi conſcientia: ſervanda eſt Catholicæ „ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, ut ante Ex„ tremam Unctionem Pœnitentiæ, & Eucha„ riſtiæ Sacramentum adminiſtretur. Ac dein„ de ægroto Parochi perſuadere ſtudeant, ut „ ea fide ſe ungendum Sacerdoti præbeat, qua „ olim qui ab Apoſtolis ſanandi erant ſeipſos „ offerre conſueverant. In primis autem ani„ mæ ſalus, deinde corporis valetudo cum il„ la adjunctione, ſi ea ad æternam gloriam „ profutura ſit, expetenda eſt. Nec vero du„ bitare Fideles debent, quin ſanctæ illæ & ſo„ lemnes preces a Deo audiantur, quibus Sa„ cerdos non ſuam, ſed Eccleſiæ, & Domini „ noſtri Jeſu Chriſti perſonam gerens, utitur. „ Qua una maxime re cohortandi ſunt, ut hu„ jus ſaluberrimi olei Sacramentum ſancte, & „ religioſe ſibi adminiſtrandum curent, cum & „ acrior pugna inſtare, & vires tum animi, „ tum corporis deficere videantur.

Jam vero huic de Extrema Unctione tractatui, ſimulque meis ſuper quatuor Sententiarum libros Commentariis finem impono, debitas DEO OPTIMO MAXIMO gratias rependendo, ipſumque enixe precando, ut Opus iſtud ſibi ad gloriam, mihi ad meritum, tyronibus ad emolumentum bene proſperque procedat.

FINIS.

Index Librorum omnium, qui in hoc Opere continentur juxta tomorum partitionem.

TOmus I. *complectitur Theologiæ Prolegomena, Libroſque de Dei exiſtentia, & attributis.*
Tomus II. *Libros de beatifica viſione, divinaque ſcientia, & intellectu.*
Tomus III. *Libros de Dei voluntate, providentia, prædeſtinatione, & reprobatione.*
Tomus IV. *Libros de Sanctiſſima Trinitate.*
Tomus V. *Libros de Angelis, & de aſpectabilium rerum productione.*
Tomus VI. *Libros de vario humanæ naturæ ſtatu, de humanis actibus, & de peccatis.*
Tomus VII. *Libros de virtutibus theologicis, & de legibus.*
Tomus VIII. *Libros de divina gratia auxiliis.*
Tomus IX. *Libros de Dominica Incarnatione.*
Tomus X. *Libros de cultu Chriſti & Sanctorum, de noviſſimis, & de purgatorio.*
Tomus XI. *Libros de juſtificatione, & de Sacramentis in genere.*
Tomus XII. *Libros de Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine.*
Tomus XIII. *Libros de Euchariſtia, & Matrimonio.*
Tomus XIV. & ult. *Libros de Pœnitentia, de Indulgentiis & cenſuris, ac de Extrema Unctione.*

F I N I S.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
IN ROMA